

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.



1735

1. Bestineller, Gethartus Charthaus, Ord. jurisdici. Pro-Decanus:  
Lectori benevole s. p. l. (ad Disputationem solennem Fidei  
vici Benedicti Carpzovii invitato).
2. Brubler, Henricus: De possessione bonae fidei circa actio-  
nem de ligno juncto et implorari obligato.
3. Carpzovius, Fredericus Benedictus: De murcis Von poltrous.
4. Carpzovius, Fredericus Benedictus: De eo, quod consultum  
est, in nuptiis personarum diversae religionis.
5. Cellius, Christoph. Ludovicus: De monumentis secundum  
voluntatem testatoris faciendis ad l. 14 § 6 D. de relig.
6. Cellius, Christoph. Ludovicus: Praesumptio, cum aequalitas  
in judiciis Divinis et actio, ne negotiorum ad l. 7. D.  
fidei repud. . . defendit.
- 7<sup>act.</sup> Cellius, Christoph. Ludovicus: An conditio, quae propter  
causam impleri nequit pro impleta habeatur?
8. Kraemer, Joh. Godofredus: De eo, quod iustum est in  
nuptiis personarum diversae religionis.
9. Kraemer, Joh. Godofredus: De patris unilateraliter defuncti  
materteram in terris juris hereditarii communi a successione  
excludente.

10. Leyserus, Augustinus: ~~De~~ De caede perduel  
Et unu privatis licita.
11. Leyserus, Augustinus: De marito jure auctoritatis pu-  
nitivae
12. Leyserus, Augustinus: De jure perductionum supplicis  
12<sup>o</sup> <sup>in</sup> <sup>indicta</sup> <sup>caussa</sup>  
Leyserus - Hutter
13. Leyserus, Augustinus: De infamia stupri atolendi.
14. Leyserus, Augustinus: Aestatem in auctoritate rei-  
publicae necesse et potuisse . . . Defendet
15. Leyserus, Augustinus: Quousque auctoritatem per  
conjecturas prohibetur.
16. Leyserus, Augustinus: Controversias testimoniaris  
nummular . . . publice disceptat.
- 17<sup>o</sup> Leyserus, Augustinus: De poenis ministrorum prin-  
cipis delinquentium. 2 Exempla.
18. Leyserus, Augustinus: De incendiis Vulgo  
Montbrenner.

19. Legum, Augustum: De jure conjugis & bona conjugis adulterantis
20. Menckenius, Grop. Ludov. Ord. jur. consultorum. . . . Prae. Decanus: Lectur. honorato s. p. D. (ad Disputationem solennem Alberti Antonii Wernerii invit.)
21. Mencken, Grop. Ludov.: Ord. jur. consult. . . . Decanus: Lectur. honorato s. p. D. et jus cerevisiarum civitatis Saxonicarum et milliare omnino restitutum esse demonstrat (ad Disputationem Franci Christophori Peckeri invit.)
22. Menckenius, Grop. Ludov.: Jus fidei iure aethiopicum imperio . . . Disputat.
23. Mencken, Grop. Ludov.: De jure prohibendi cerevisiarum civitatum Saxonicarum ultra milliare videri solito in ordinem d. A. 1558. non fundit.
24. Henckel, Christ. Grop.: Ord. medicorum . . . Decanus: Lectur. honorato s. p. D. eundemque ad tri. ineq. medicum (Joh. August. Hartemuth) invit.)

15. Sturmian, Grollitz; De feudorum divisione.  
nitas.
- 26<sup>a</sup> Sturmian, Grollitz: De personis feuda constitutibus et representatis.
27. <sup>26</sup> Weidner, Fr. Frider: Utrum pœnda salentibus  
Apris crepta vindicari possit. 2 Sempl
- 26<sup>b</sup> Vater, Albrecht: Dissertatio in aug. medice. forens.  
que valor et sufficientia signorum infantum  
viviunt aut mortuum eodem argumentum ad p.  
judicandum infanti ei dicitur examinatur.
- 26<sup>c</sup> Wagner-Schnabel
- ~~24. 1. 1800~~



DE  
SCRIPTORIBVS LATINIS  
IISQVE ROMANIS  
EX  
ORDINE SECVLORVM  
PRAESIDE

M. GODOFREDO VVAGENERO

ORD' PHILOSOPH' ADIVNCTOET SCHOLAE OPPID' PRORECTORE  
VTRIVSQVE ITEM COLLEGHII SENIORE  
PVBLICE EXPONET

IOSEPHVS AMADEVS SCHNABELIVS  
AXIN' SAXO

IN AVDITORIO MAIORI

IIII KAL' IANVAR' ANNI MDCCCXXXV

---

DISPVATIO I

---

VITTEMBERGAE IN SAXONIBVS  
IN OFFICINA SCHLOMACHIANA

50  
33  
1735  
265

SH



**V**arias Quiritium linguam conuersiones commutationesque habuisse, a) sigillatim, seculo VI et VII, per irruptionem Barbarorum, ita eam corruptam esse, ut, in ipso etiam Latio, Latine desierint loqui, constat exploratumque est. Cum primis uero, priscais temporibus illis, Ennius, a Catone, cum ex prouincia Graeca rediret, Romam perductus, primus et antiquissimus scriptor inter Latinos, Naeuius, Caecil-

## A

us,

a) *Adiumenta*, inquit Schurzleischius, *humanioris doctrinae uarias, et in omnem partem diffusa, sunt, nec modo artes disciplinaeque ornant, sed etiam inuuant et instruunt, magnamque tuis utilitatem asserunt, adeo, ut his inuitis et fundamentis omnis uera solidaque eruditio innitatur. Quem nitorem liberalibus studiis eripuit partim bellorum calamitas, partim migrationum frequentia, partim affectata hominum mollities, partim licentia importuna inclinatae aetatis philosophorum, qui, sequioribus seculis, solo ingenio doctrinam fulciebant, ac, sine literaturae ope, et, sine antiquitatis praesidio, ad sacras profanasque disciplinas se applicabant. Vicissitudines linguae Latinae summam complectar, quarum insigniores contigerunt,*

I, Sub **NERONE**, quo imperante, uirtutum et doctrinae pretium eniluit, quando is, cum familiaribus et consiliariis, omnes artes studiaque ad dominatum conuertit, ac ipse etiam Senecae stylus ab Augusti aeuo elegantia recessit. Vid. Sebast. Maccius, de Histor. l. I, p. 49, 599.

II, Sub **VESPASIANO**, cum eloquentia sensim ad calores et aculeos sententiarum defecisset, pristinaeque grauitatem amitteret. Huc spectat Dialogus Cuius Quintilianus de Oratore, qui uixit sub Vespasiano, ut ipse refertur in Dialogo laudato. Hinc breuitatis et Laconismi studium coepit sub Vespasiano, maiori eloquentiae uitio et corruptela.

III, Sub **GORDIANO** concisior et asstrictior styli ratio coepit, eaque **DIOCLETIANI** aeuo, et **THEODOSII ARCADI**que seculo continuata est, quod historici declamatores et Sophistae, illorum temporum satis declarant. Eandem dictionis formam habent leges et rescripta Imperatorum **GRATIANI**, **DIOCLETIANI** et sequentium Augustorum. Quorum uis, lac. Godofredus, in Dissert., ad Legem celebrantis, p. 40, 42.

III, Regnantibus in Italia **GOTHIS** et **LONGOBARDIS**, quorum temporibus Romani desierunt tandem Latine loqui, et pura pristinaeque eloquentiae facies foedata est, in primis Mart. Capellae, hominis Afri et inellegantis, cuius extant duo libri, de Nuptiis Philologiae et Mercurii, quos H. Grotius, consilio dulciue Iosephi Iustii Scaligeri, emisit.

V, Seculo **SCHOLASTICORUM**, qui omnem Latinitatem elegantiamque

us, similisque generis poetae, qui, ut ille ait, cum Euandri matre sunt locuti, prorsus obsoleto scribendi genere utebantur. b) Nihil addam de recentiori Scholasticorum tempore, qui, incultis plane technicisque uocabulis omnia tractantes, horrenda barbarie sermonem Latinum inquinarunt, uix ut alterius alter mentem animumque capere posset. Hinc etiam orta est aetatum, seu, seculorum, diuisio, in *Aureum, Argentaeum, cetera, c)* quae tamen minus mihi placet, cum paulo

iniquius atque corruperunt, pariterque literaturae ac matheos studia neglexerunt, usque ad FRANCISCI PETRARCHAE tempora, quibus florentiora ingenia successerunt, et maiorem Latinitatis curam, XVI in primis seculo, susceperunt.

VI. Aeno LIPSIANO, quod affectata breuitate, regiones scholasque Transalpinas compleuit. Vid. S. Maccius, d. l. c. 9, Iulius Caesar Bursigerus, in Hist. sui temporis, et Rol. Marefus, in Epistolis Philol. Conf. Jac. Burckhardi, de Linguae Lat. in Germ., per XVII secula, amplius, Fatis, P. I praef.

b) Vid. Casp. Scioppius, Dan. Georg. Morhofius, Olaus et Andr. Borrichii, Christ. Cellarius, Cyriacus Guntherus. Alii, alio modo, discernunt Lat. linguae aetates. Vid. Celeb. Io. Georg. VValchius, in Crit. Lat. linguae, p. 34, sqq., Andr. Goepelius, in Conf., de Aut. eloquent. Rom., p. 4, Cl. Nicolaus Funccius, de Adolescentia Latinae linguae, in Progr., p. 14, sqq.,

c) Verba haec sunt. Possunt huius rei gratia, IIII temporum interualla constitui. Antiquissimum, quod nimis obsoleta uerba continebat. Antiquum, quod nondum ab iis repurgatum erat, et multa insuauia et horrida admiscebat. Perfectum, quod pura et emendata loquendi consuetudine utebatur, tum denique Imperfectum, seu, Inclinatam et Cadens, quo purum et elegans dicendi genus insigniter mutatum est, ut, non tam imitandum, quam obseruandum et cauendum, esse, censeamus. Vid. Hadrianus, laudato iam laudati libri loco.

Alii per secula Latinitatem distinguunt, et Aureum Optimum uocant, quod a C. IUL. CAESARE patet usque ad AVGVSTI excessum. Aureo proximum est Argentaeum, quod ab excessu AVGVSTI numeratur, usque ad NERONIS, aut potius ad TRAIANI, imperii finem. Hinc Aeneum ducitur, uel a NERONIS, uel rectius, ab ultimo TRAIANI, aeuo, usque ad THEODOSII I, aut HONORII tempora. Tum Ferreum seculum incipit, quod continuatur usque ad THEODOSII II, seu, VALENTINIANI III. Ab hoc interuallo Ligneum constituitur, et, usque ad migrationem LONGBARDORVM, extenditur. Ab hac fatalis Imperii lapsus, et Imperii prius,

iniquius agi uideatur cum Cicerone, Caesare, Nepote, reliquisque seculi illius aurei scriptoribus, si una cum Plauto, Terentio, Catone, Lucretio, immo, cum antiquissimis istis ac prorsus obsoletis, Liuius Andronico, Lucilio, Eanio, Pacuio, aliisque poetis, *d*) unius eiusdemque aetatis spatio concludantur. Longe igitur alia aetatum Latinae linguae, eiusque scriptorum, ratio est inuenda, ea nimirum, quae suum cuique scriptori ius decusque sanctum inuiolatumque conferuet. Aetates enim Latinae linguae omnium scitissime diuisit Hadrianus, Cardinalis, elegantissimi uir ingenii, in principii libri longe utilissimi, de Elegantiâ Latini sermonis, quam diuisionem ipsi etiam CONR. SAM. SCHURZFLEISCHIO nostro placuisse, in praelectionibus ipsius priuatis, A. CIO IDC LXXXIX, habitis, obseruaui. Diuidit autem secula scriptorum ueterum

A 2

Lati-

nis, funusque linguae Latinae, repetuntur. Vid. Casp. Scioppii iudicium, de stylo hist., Olai Borrichii, de Variis Lat. linguae aetatibus, ed. Hafniae, 1675, 4, qui Scioppium castigat uere ac merito, quod Iustinum aureae aetati, Dictyque Cretensem argenteae annumerauit, temporum et styli diuersitatis, per incuriam, oblitus. Conf. Ioannes Rhodius, in notis ad Scribonium Largum.

Ex his elucimus, Perfectum Latinitatis habitum durasse ad inclinam tam AVGVSTI aetatem, siue, ad finem eius imperii, extra controuersiam, referri, oportere. Procedente aetate, maior audacia subit, phrasumque confingendarum licentia incescit animos, cum uerba noua, et dictio nimis composita, acuminibusque luxurians, sed biars, ac numeri negligens, cum iniuria superioris Latinitatis, recipitur.

*d*) Schurzfleischius dicit, Poetae, qui Plauti et Terentii aetatem ordine praecesserunt, partim amissi sunt, quorum Fragmenta seruaui nobis Fuluius Prifinus, uir clarissimus, partim insiceti magis et obsoleto scribendi genere conuincti sunt, quos, non, ad imitandum, sed, ad distinguendum poetarum acuum, formatque dictionis obseruandam, legere licebit, cum primis ut diligentia poetarum et elegantia acui Augusti quadam ratione clarius illustretur. Eo spectat Ennius, ex cuius seruore aurum elegit Virgilius, Lucilius, cuius reliquiae a Iano Doufa relictæ, et apud Raphaelengium prelo subiectæ sunt, quas, eruditi iudicant, esse Ios. Iusti Scaligeri, uiri summi, qui eas cum nomine suo indignas putaret, tradidit Iano, nomine suo edendas. Fragmenta Ennii separatim edita sunt, Lucilii cum notis elegantibus proderunt Amstel, 1661, 4. Ennii Fragmenta, cura Pauli Merulae, Lugd., B., 1595, et Neapoli, 1590, cum Comment. Hier. Columnae, deni-

Latinorum commode in *Antiquissimum, Antiquum, seu Aureum, Imperfectum, seu Argentum*. Cui tamen diuisioni quadruplici addi posset *Imperfectissimum*, quo *Aeneum, Ferreum, Lignum, seu maus, Stramineum*, continetur. Atque hac ipsa ego uia, CANDIDE LECTOR, progrediar, dum de *Scriptoribus, illisque Romanis*, aliquot Disputationibus agere, sententiamque, pro uiribus, ferre, cum animo constitutum habeo, simul etiam celeberrimorum uirorum, SCHVYZFLEISCHII et CHRISTOPHORI CELLARII, ex ipsorum scholis, subiungam IUDICIA, eaque, typis nondum expressa, quorum MSS. multi, inuidia ducti, cum aliis communicare renuunt, et, sui commodi causa, ex illorum fontibus, irrigare student riuulos suos.

II Ad antiquissimam igitur aetatem spectant omnes, qui Plantum praecesserunt, scriptores, *Ennius, Actius, Pacuuius, Naenius, Caecilius, Lucilius*, aliique non nulli, poetae ad unum omnes, quorum Fragmenta iam olim Parisi 1564, 8, primus uirilissime ac pereleganter edidit *Rob. Stephanus*, eiusque recudit filius, *Henricus*. Vid. de his *Celb. Ioannes Albertus Fabrici-*

*denique Lugd. Gall., 1603, 4. Lucilii Actii, Cn. Naeuii, M. Pacuuii, Vitae et Fragmenta Lugd. prodierunt, a. e., unctim. Ex his poetis multa sumi possunt, quae ad mores et uitae officia pertinent, nec pauca etiam in iis reperiuntur, quae ueterem philosophiam illustrant. Lucilius primus satyrae scriptor fuit, et philosophiae Stoicae alumnus. Lucretius, Sectae Epicuri se addixit. Edd. Lambini, 1570, Parisi, 4, Florent., cum animaduersionibus Io. Nardii, 1647, 4, O. Giffanii, Antu., 1666, 8. Ceteri poetae non eandem rationem tenent, et, pro ratione argumenti, ex omnibus aliquid depromunt. Omnino enim poesis philosophiae adiumento indiget, eius praesertim, quae in uita expolenda, reque publica instruenda ac moderanda, uersatur, rerum quoque naturalium et coelestium scientia, omniumque artium liberalium doctrina comparanda est, atque excellenda. Sic in Lucilio sunt physica, ethica et politica, quae ad ornamentum eloquentiae ualent, et a Cicerone, Fabio, assumuntur passim et celebrantur. Vid. hic, Instit. II, 8 et 10, ille de Orat., I et II, et de Acad. Quaest., et ad Famil., IX, 15. Patres ipsi, Lactantius, Arnobius, Hieronymus, Augustinus, poetas antiquos lectitarunt, sine quibus multa autorum loca intelligi non possunt, ipso etiam Cicerone iudice, de Orat., I, Verba eius sunt, Nemo est in oratorum numero habendus, qui non sit omnium*

bricius, e) Biblioth. Lat. p. 664, sqq., et uol. III, p. 256, sqq., ubi inter ceteras συλλογὰς, hanc etiam recenset, additis omnibus ac singulis editionibus horum uenerandae antiquitatis Fragmentorum. Conf. C. Sagittarius, de Vita et scriptis Catonis, Euanii, Pacuii, etc., ed. Altenb. 1672, et Petrus Crinitus, de Poetis Latinis, I, sqq., Lillii Gyraldi OO. T. II, p. 190, sqq., Ger. Io. Vossius, de Poetis Lat., pag. 3, sqq., quod opus est posthumum, nec ea confectum cura, qua opus eiusd., de Hist. Lat. Hinc Gyraldi, de Lat. Poetis Dialogi, per elegantes, ac docti conferendi sunt merito, immo, praeferendi. Dan. Georg. Morhofii Polyh. III, 11., p. m. 131 Io. Christoph. VVagensii

A 3

omnibus iis artibus, quae sunt libero homine dignae, perpolitus. *Vn. de Grotius tantus uir erat? Ex lectione poetarum. Atqui uero inter liberales doctrinas occurrit etiam poesis, et primas fere partes obtinet, praesca in primis illa, quae rebus et uerbis copiam suscipiat, atque in morato orationis genere dominatur. Antiquissimi enim poetae de rebus diuinis humanisque philosophati sunt, quod Graecorum exemplo liquet, quibus imitandi Latini operam aederunt. Vid. Minturnus, de Poetis, VII.*

e) I. A. Fabricius, uir, cum aliis in literis, tum in historia, potissimum, literaria, multo uersatissimus, prout eius scripta, quorum non pauca iam divulgauit, haud obscure docent. Ex his poterat uix uiliorem librum scribere hae Bibl. Lat., quippe in qua scriptores Latini ueteres, si Patres Christianorum ueterum minores excipias, tantum non ad unum omnes exhibet, tanta quidem solertia, ut ante hunc uix ullum reperias librum, qui paria cum hoc facere possit. Tamen uero scriptores Latinos non Christianos compleri hoc uolumine solos uoluit Vir celeberrimus, temperare sibi tamen non potuit, quin, iuniorum in gratiam usumque, potiores coetus diuini antiquioris, praegustus ueluti causa, subiungeret prioribus illis, ne quid iure a quoquam desiderari posset. Omnino autem prudenter fecerit, quisquis scriptorum librorumue notitia ducitur, si hunc ante alios librum sibi comparet uoluatque sedulo et reuoluat, sepelitis interim aliquamdiu scriptoribus iis, ex quibus recentiorum notitia potest hauriri. Huic deinceps subiungere statim licebit, eiusdem Fabricii Biblioth. Graecam, cuius operis Tomus ultimus, 1728, 4. prodit in lucem. Ad Latinam ut reuertar humanissimi solertissimique Fabricii Bibliothecam, tanto eam cum applausu non Germani solum omnes, sed ipsae quoque gentes externae, exceperunt, ut ab Anglis, etiam ab Italis, haec Bibliotheca sit recusa pariter, atque aucta, indignante quamuis non nihil operis autore, qui, uel hanc ipsam ob causam nouam sibi editionem adornandam esse, dixit, cum praesertim ab Anglis non pauca in editione ipsorum deprauata uiderentur.

lii Pera LL. iuuen., locul. III, P. I, p. 744, 65, 82., Cellarii, Dissertat. 9, fqq. 464. fqq., VValchius, d. l., p. 4. fqq., Cl. Frider. Andr. Hallbaueri Einleitung in die nuzl. ubungen des Lat. Styli, p. 28, fqq. Nic. Funccius, d. l., p. 59, fqq. Minime uero poetae hi ad aetatem Auream suat referendi, licet quidam sententiam affirmantem defendant, dicentes, Ciceronem omnia ex antiquis scriptoribus hausisse, unde iam ante hunc Aureum fuisse tempus. Sed responderetur, non omne id, ex quo aurum seligitur, est aurum, unde quicquid elegantiae fuit melioris, tempore id Ciceronis, natum uideretur.

III Ad aetatem Antiquam pertinet Plautus, Cato, Terentius, Lucretius, quibus per me Varronem ipsum addere licebit, longe quidem aetate superioribus inferiorem, stylo tamen ita durum asperumque, ut ad Aureum illud optimumque aeuum referri uix, ac ne uix quidem, mereatur.

III Ad stylum *Plauti* quod attinet, est is omnino eiusmodi, ut formulas potius et lepores loquendi, quam scribendi, suppeditet, obsoletior passim, ac talis, ut in oratione ciuili et feria locum usque quaque non habere posse uideatur. Tanto magis mirandum est iudicium Io. Clerici, Geneuensis, ceteroquin apud Barauos, doctrinae haud uulgaris, qui, Art. Crit. I, p. m. 44, cum Arnaldo Clapmario, in nobilis adolescentiae Triennio, §. 6, a Plauto ne tirones quidem arceret, sed ipsa Latinae linguae primordia eos a Plauto capere, audacter nimis iubet. Quod si quis sapientior uel primam sibi Plauti Comoediam perpendendam sumat, Iouis adulteriam et nequitias complexam, uix negare poterit, Clerici et Clapmari consilium parum esse cautum, nec temere a quoquam sequendum. Ut nihil in praesentia dicam de Archaicis, Punicis, Graecis, aliisque peregrinis, atque a Ciceronis certe seculo immane quantum abhorrentibus, tum uocibus, tum dictionibus, immo, etiam de Comicis et Poeticis, quibus Plauti Comoediae tantum non feotent. Iocis alioquin et leporibus, quibus tamen interdum obscena quaedam  
mi.



miscet, excellit, coque in genere ipsum quoque Terentium superat tantum, quantum ab eodem Terentio gravitate et elegantia scribendi superatur. Conf. Fabius, Inst. Orat. XI, 1, A. Gellius, N. A. I, 7, XIX, 8, R. Maresius, d. l., Epist. II, 6, Scaliger, de Causis L. L. VI, 30, Boeclerus, de Script. Gr. et Lat., p. 37, sq., G. I. Vossius, OO. T. III, iv, §. 9, p. 147, VVagenseilius, d. l., p. 751, Casp. Sagittarius, de Vita, scriptis, editionibus, interpretibus, lectione atque imitatione, Plauti, Terentii, Ciceronis, p. 41, sqq., Gyraldus, d. l., p. 415, sq., Fabricius, d. l., vol. I, p. 1, sqq., Disput. mea gemina, ab quibus Scriptoribus, et a quibus Poetis, primordia sint capienda Latini Sermonis et Poeseos, hab. A. MDCCXIII.

Edd. Plauti M. Zuerii Boxhornii 1645, 1684, 8, quam edit. in deliciis olim habuit singularis Boxhornii admirator, Boffius, Jenensis, estque omnino talis, ut succum plerunque ex optimorum Plauti interpretum notis exhibeat, typorum quoque et chartarum elegantia se non parum commendet. Io. Frid. Gronovii, senioris, 1664, 1684, 8, ed., si lectiones criticas spectes, ceteris omnibus facile praestat. Nam omnium, quotquot adhuc prodierunt, castigatissima immo, optima, elegantissima perfectissimaque, ipsi etiam Parisiensi, in usum Delphini, 1679, 4, II uoll., cum interpret. et notis, ac uocab. indice, praeferenda. Editio speciosa utique et splendida, de reliquo tamen eiusmodi, quales pleraeque omnes Delphinianae, plagis eruditorum, aliisque naevis haud unis, refertae. Schurzfleischius olim noster, de indicibus, qui potissimum in edd. Delphinianis occurrunt, minus praeclare sentiebat. Neque negandum est, indices tantum non omnes a Gallis quidem editos, ex Germ. aliorumque eruditissimis operosislimisque indicibus esse surreptos, ut uix agnoscas, eosdem esse. Janus Gruterus, in Suspicionum LL. IX, Plauti Comoediis attulit lucem Vittemb., 1591, 8, qui, eo tempore, Vittemb. Prof. fuit Hist., ubi et liber hic fuit excusus. Summum hunc criticum, eo in loco, quo ex instituto Profess. Acad. Vittemb. enumerat, omi-

omisit Andr. Sennertus. Vid. eius Athenae Vitteimb. Program-  
ma Gruteri auspice, lectionibus olim in Chronicon Ph. Me-  
lanchthonis praemissum, typis excusum est, ex quo series  
Profess. in Athenis Sennerti potest suppleri.

SCHURZFL. Plautus elegans, purus, festiuis, ac singularis iocorum  
artifex, est, cuius multae Comoediae sunt amissae, ut hodie earum  
numerus definiti non possit. Imitatio tamen eius circumspicere esse  
debet, ob uerba obsoleta et archaismos, quos solutae orationis lex non  
admittit. Alioquin parens Latinitatis appellandus est, quem Varro,  
Latinarum literarum uindex, maximopere aestimauit et coluit adeo, ut  
affirmaret, Musas, si Latine loqui uoluissent, nullo, nisi Plautino,  
sermone uti solitas fuisse. Gellius eum Latinae linguae decus nominauit,  
Instit. Or. X, 1, Lipsius, Plauti lectioni maxime deditus, elegantes et  
urbanos Plauti sales amare se, affirmauit. Plauti Terentiique elogi-  
um insigne atque eruditum legatur apud Heinsium, cuius extat lucu-  
lenta Dissertatio, de hoc argumento, quae etiam Lips. edit. Corneti,  
addita fuit, etiam Jedd. Farnabianis.

Edd. Plauti, Venet., 1477, f., quae est rarissima, Aldina, 1522,  
8, qua in primis usus est Taubmannus, in recensendo Plauto, Vitteimb.  
1605, et 1612, 4, quae parum ualent, et inter has posterior est emen-  
dator, Tubmann. Grut., ib., 1621, optima est, cum Comment. Lambi-  
nini, Paris., 1577, 1577, f. Basil., 1558, 1573, 8, 11 uoll. constans,  
cum notis Jac. Operarii, 1679, 4, Paris., 1616, Parisi Spirac, 1619, 4, et  
84. Eiusdem Analecta Plaurina, 1623, 4. Eius Lexicon Plautinum,  
1634, 8, Boxhornii Francof., 1643, Franc. Dissaldei animaduersiones in  
Plautum Salmuri, 1611, Henningius Succouius, Polonus, in Trin-  
quum, 1643, 8, Buchneri Vitteimb., 1640, 12, 1652, 1659.

V *M. Porcius Cato*, qui separandus ab aliis Catonibus est,  
in primisque Uticensi, et, ob proauum, seu Catonem Maio-  
rem, Minoris nomine, distingui consuevit. Fuit autem Ca-  
to hic Maior uir, sine dubio, maximus, ut illa quidem tem-  
pora ferebant, in omnibus doctrinae spatiis, immo, in o-  
mnibus quoque reipublicae muniis, praeclarissime uersatus,  
philosophus, orator, historicus, consul, censor, imperator  
denique, et quid non, fuit? Atque hic est ille Cato, quem  
in aureo, de Senectute, Dialogo, c. 15, celebrauit Cicero,  
loquentemque induxit. Vixit ad ultimam usque senectutem,  
nonagenario maior, ut uult Plotarchus, cui, hoc in genere,  
praeter ceteros omnes, fides adhibenda uidetur, magis et-  
iam, quam ipsi Tullio, quod rationes aetatis Catonianae mi-  
nus

nus

mus accurate duxisse putandus est, id quod ex aliorum, qui de Catone aliquid memorant, scriptorum a Cicerone dissensu colligere licet. Scripta quidem uarii generis condidit, proxi uariae uir fuit eruditionis, ex quibus tamen solum illud, de Re rustica, uolumen superest, tanto maiore quidem in pretio habendum, quanto dolenda magis iactura est reliquorum Catonis librorum. Stylus Catonis huius aetatem loquitur suam, durior quippe adhuc et obsoletior, atque ab insequenti Ciceronis aeuo longe permultumque distans. Vid. C. Sagittarius, de scriptis Catonis, Ennii, Pacuuii, cetera De optimi huius Romani diligentia solenni testatur etiam Mart. Hanckius, de Roman. rerum scriptoribus, 1.2, II,2, qui longe plures, quam Vossius, quem tamen in subsidium uocauit, scriptores collegit, additis etiam, qui in opere Vossii, tantum non omnes desunt. Eiusdem liber extat, de Scriptoribus Graecis Byzantinis, priori, ob raritatem argumenti, in quo uix quifquam accurate satis, ante ipsum, uersatus erat, anteponeendus. Vid. Petrus Baelius, in Diction., Fabricius, d. l., p. 19, uolum. II, p. 19, sqq., Ioannes Glandorpium, uir in historia Romana, si quis alius ex gente nostra, uersatissimus, patria Monasteriensis VVestphalus, scholaeque patriae Rector, cuius etiam alia quaedam extant, in Onomast. Rom., prorsus egregio, Francof., typis VVechehanis, 1589, f., p. 714, sqq., G. I. Vossius, de Hist. Lat., I, 2, sqq., Morhofius, d. l., p. 137. Ed. Auf. Popmae, Icti et philologi Frisorum praestantissimus, 1590, 8., apud Plantin., qui Catonem seorsim comparere uolet, inter optimas haberi debet.

VI *Terentius*, ut aetate seculo Ciceronis propinquior, ita scribendi ratione limatior, Plauto, decori quoque et styli moratioris obseruantior eodem, licet salibus comicis minus abundans. Proprietas in eo sermonis tanta est, quanta in alio uix ullo, eaque de causa ad loquendi potius usum, quam ad scribendi decus et ornamenta, accommodatus. Obsoletiora quaedam uocum pariter, ac dictionum, genera in eodem uitanda sunt, quae indice Terentii Farnabiano comprehendun-

B

dun-

duntur. Hanc in sententiam uideatur Georgius Fabricius, qui inter omnes propemodum eruditos de Terentio rectissime cautissimeque iudicauit, et utilissime commonuit, cum alibi, tum in prooemio lectu dignissimo, quod editioni suae Terentianae praemisit. Conf. Schurzfleischii Disp., An a Terentio primordia Latini sermonis sint capienda? Alioqui, non sine iure, tantis in deliciis fuerunt poetae huius Comoediae iam olim ueteribus, ut ab ipso Scipione Africano, Laetione, scriptae crederentur. Ipse profecto princeps eloquentiae tantopere Comicum hunc aestimauit, ut *familiarem* quoque *suam* appellare dignaretur, quippe quem lectione sibi reddiderat perfamiliarem. Ex recentioribus diligenti hunc Afrum imitatione exprimere conatus est Arnoldus Ferrounus, homo Gallus, Erasmus uero Roterodamus, Phil. Melanchthon, Lutherus ipse, I. I. Scaliger, alique, eundem tantifecerunt, ut assidua lectitandi consuetudine exemplaria sua tantum non contriuisse perhibeantur. Menandrum, cuius Comoedias speculum uitae humanae solebant appellare ueteres, etiam Quintilianus, se imitari conatum esse, faterur ipse Terentius, in Prologis suis. Vid. Vossius, de P. L., p. 9, sq., Gyraldus, d. l., T. II, p. 415, sqq., Sagittarius, de Viris, scriptis, interpretibus, edit., etc., Plauti, Terentii, Ciceronis, p. 42, sqq., VVagenseilius, d. l., locul. III, p. 764, O. Borrichii Diss., de Poetis, p. 34, I. Frid. Reinhardi Theatrum prud. eleg., p. 120, sqq., Fabricius, d. l., uol. I, p. 27, sqq., uol. II, p. 29, sqq., VValchius, d. l., p. 44, Furccius, d. l., p. 24. Edd. Ex Dan. Heinlii editionibus, plus semel recufis, elegantiss. sunt Elzeuirianae, quarum prima prod. Amstel., 1618, 12. Quae enim Lipsi. recusa est, in off. Corneriana, parum est emendata, eadem tamen forma. Christoph. Coleri, Francof., 1784, 1685, 12, paucis quidem notis, sed doctis, quales doctissimi huius uiri solebant esse. Opt. est Genen., 1593, 12, Mart. Hayneccii, Rect. olim illustri lud. qui uocatur, Grimmentis.

mensis, cuius ed scholarum doctoribus potissimum est profutura Paris, 1642, f. ex typographia regia, typis splendidissimis, quae editio inter ornamenta Biblioth. referenda uenit. Iac. Kockerti, Gymn. Lubec. olim Prorect., edit. Lubecae, 1651, ob solum indicem, aestimari debet, quippe inter omnes indices Terentianos longe optimus est, ne Boecleriano quidem excepto, qui tamen et ipse cum hoc coniungi meretur. Ed. ib., 1667, quae priori, ut auctior, sic eidem antefereendus. I. H. Boecleri ed. inter minores palmaria, meritoque in scholis introducenda. Per insignis enim est, ac tantum non omnibus, si commoditatem spectes et utilitatem, praeferenda, mirum ut uideri possit, edit. tam erudite ornata, nondum fuisse recusam. Prod. Argent., 1657, 8, cui adiunctae sunt Franc. Guicti, Galli ingeniosi, nec incruditi, notae, uerum tantos sibi spiritus, tantam fumentis arrogantiam, ut ferendus uix uideatur, cum integras saepe Terentii scenas expunctas uelit, eamque ob causam a iunioribus, nisi cautissime, non legendae. Cum notis Th. Farnabii, in quatuor priores, et Merici Casauboni, in duas postea, Comoedias, Lond., 1651, 12, cui editioni, tametsi rariori, anteponendae sunt edit. Batauorum quaedam, nominatim, Blauiana, in 12. Ab recentioribus tamen Batau. edd. Terentii Farnab., minus quippe teris emendatisque, merito cauendum est. Notae quidem pauciores sunt, minime tamen uulgares, sed longe doctiores Minellianis. Minellii ed. plus fere est recusa, nec ineleganter, Roterd., 1670, 1680, 12, nisi quod antiquiores fere recentioribus praesent. Iunckeri Lips., 1702, 12, notae ad modum scriptae sunt Minellianum, quales etiam in uarios scriptores ueteres edidit M. Andr. Stubelius, Prorector olim scholae Thom. Lips. Verum haec tales consimilesque tironibus fere solis inseruire possunt.

SCHURZEL. Inter omnes poetas, qui extant, Latinos, maxime ad orationem solutam aptus est Terentius, a quo, Rinius et Lipsius, uiri clarissimi, Latino studio incipiendum, putant, quanquam ueteres Latini a Virgilio initium faciebant, ut ex Rutilio et aliis scriptoribus liquet. Sed multa in Terentio sunt prisca et obsoleta uocabula, et frequentes archaismi, orationisque uinctae licentia, quae proae non conueniunt, et merito cauentur. Plerumque Menandrum secutus est,

eum quaedam usurpauit, inuitque liberius, a quibus oratores con-  
stanti semper lege abhorrent. Alioqui eius lectio utilis est, et, obser-  
uatis elegantiam, merito aestimatur.

Editio prima omnium, quas uidi, est Veneta, 1474, f. it. 1480, Aldina, 1517,  
3, Basil., 1540, 8, Calon. Agrippa, a. e., Rob. Stephani, 1545, 8, P. Manutii,  
1555, 8, rariss. 1610. Florent. cum anotatt. Gabr. Faerni, 1565, 8, Lugd. G.,  
1573, sed parum ualet, Plantin., 1580, Francof., 1592, cum argumen-  
tis et annotationibus Murceti, duae edd. Frid. Lindenbrogii Paris.,  
1602., 4, cum eius obseruatt., et Francof. 1623, quae opt. et lucu-  
lentiss. est, VVeizii, 1610, cuius notae doctae tironibus maxime sunt  
uiles Lugd. B., 1644, Argent., 1657, cum comment. Franc. Guiceti,  
quam Bocclerus in Germania edendam curauit, 1668, 12, sed sine no-  
tis, 1675, f., cum notis Nicol. Cami. Huc spectant obseruationes in  
Terentium Aug. Gambarelli, Bergom., 1597, 8.

CELL. Maxime his et controuersia est circa duumuiros, Plautum et  
Terentium, sed in hisce duobus distincte obseruamus duo, stylum et  
argumentum. Non nego, Plautum fuisse elegantissimum et lepidissi-  
mum ingenium, habere quoque multas elegantias, id uero, etiam  
concedendum, permulta in eo esse, quae cum Latinitate non conue-  
niunt. Habet enim multa uocabula ficta et plebeia, quae serui, (die  
pickelheringe) locuti sunt, quae tamen nec ipse pro Latinis habet, un-  
de eo magis illi ridendi, qui putant, se elegantissimi quid proferte, si  
eiusmodi abiectis locutionibus utantur. Quod ad argumentum, non  
sunt commendandi, sed remouendi ex manibus iuuentutis. De Plau-  
to pariter; atque Terentio, legi meretur Lactantius, VI, 10, Val.  
Maximus, II, 6, Augustinus, Confess. c. 16. Ego elegantiam Te-  
rentianam laudo, uerum, an torae eius Comoediae sint legendae, id  
est, quod uidetur contra bonos mores esse. Nunc, quomodo consu-  
lendi, an abiiciendi, dispiciemus. Dico, saltem pueris amouendos  
esse, qui sunt animicerci, sed prouectiores, qui humanioribus, incum-  
bunt, iis carere non possunt. Tac. Oporarius Plautum in usum Delphi-  
ni edidit, ubi omnia impura eiecit, et, hac ratione, omnibus iuuenibus  
possent concedi, sed, quod potissimum, illa impura in fine omnia subie-  
cit, ut adeo, quicquid obscenum, quidue impurum, uno quasi intuitu  
quais aspicere queat. Conf. ipsius Dissert., p. 466, 344, 696.

VII *Lucretius* non poeta solum, sed rerum quoque natu-  
ralium indagator sagacissimus, secta Epicureus, cuius, non,  
sine laude, meminit, in Attico suo, Cornelius Nepos. Poe-  
tae huius dicitio archaistis quidem abundat, de reliquo tamen  
est eiusmodi, ut imitatione haud quaquam sit indigna, id  
quod exemplo suo confirmant, ex antiquis, ipse poetarum  
princeps, Maro, ex recentioribus uero Aonius Palearius, L.  
I. Scali.

I. Scaliger, Ioannes Caselius, uiri profecto maximi, nec minores eisdem tum admiratores Lucretii, tum imitatores. Quaedam certe in hoc poeta et uoces, et dictiones, occurrunt, quas apud ullum uix reperiri licebit. Amatorio poculo, quod ipsi praebuisse uxor eius creditur, non ex odio quidem, sed nimio quodam erga maritum amore, sua manu se interfecisse, fertur, anno aetatis XLIII, V. C. 1000. Vid. P. Gassendus, in Epicuro suo, quod opus optimi instar commentarii ad Lucretium esse potest. Conf. Crinitus, d. l., II, 19, Gyraldus, d. l., p. 196, sqq.; Vossius, de P. L., p. 13, sqq.; Morhofius, d. l., T. I, III, 11, §. 12, T. II, I, 5, §. 2, et, c. 6, §. 5, VVagenseilius, d. l., p. 807, P. Baelii Diction., Clericus, Biblioth. Choif., T. XXVI., p. 153, sqq., Fabricius, d. l., p. 42, sqq., uoll. II, p. 54, sqq., Cl. Stollius, d. l., p. 301, 651.

Edd. Lambiniana, Paris, 1563, 4, in qua ed. commentarii non sunt indocti, proletarii tamen nimis. Opt. inter omnes Lambinianas edit. est Francof. VVech., 1583, 8. Oberti Gifanii ed. Antwerp., 1596, et Lugd. B., 1595, 8. Dolendum uero promissos ab eodem Gifanio commentarios pleniore lucem nunquam uidisse. Interim eruditissimus, quem subiunxit Gifanus, index, iusti fere comment. instar esse potest, quippe in quo uoces dictionesque Lucretii tantum non omnes accurate explanantur. Alioqui diffidendum non est, Lambinum et Gifanium primos fuisse, qui uerum aliquod operae pretium in edendo applicandoque Lucretio fecerunt, sic quidem, ut Gifanio palma, prae ipso etiam Lambino, deberi uideatur. Ed. Andr. Turnebi Paris, 1565, 12, castigata in primis et luculenta. Ed. Thomae Crechii prod. ex theatro Sheldoniano, 1695, 1716, 8, egregia sane et Delphinianae praeferenda, et cum aeterna doctiss. huius uiri laude coniuncta, nisi hanc ipsam laudem *avroxeia* infamasset. Quod si quis hanc edit. cum Gifaniana coniunget, reliquas haud admodum desiderabit.

IIIX *Perfecti aureique seculi* scriptores, iidemque optimi,

76, praeter ceteros omnes, legendi continenter et relegendi, sunt, Sallustius, Nepos, Caesar, Cicero, Liuius, quibus accenseret meretur Hirtius, perelegans ille Supplementorum ad Commentarios Caesaris autor, praefendus utique Vitruuius, qui hoc ipso quidem seculo uixit scripsitque, sic tamen, ut potiore argumenti, in quo uersatur, architectonici, quam sermonis Latini, peritiam habuisse uideatur. Ex his omnibus, uelut ex asse, aurei sunt, Nepos, Caesar, Cicero, quorum ad munditiam styli ne Sallustius quidem accedit, horum quippe antiquissimus, ideoque antiquis nimirum et obsoletis gaudens, neque Liuius, eorundem nouissimus, et Patavinitate sua notus, quam ipsi iam olim Asinius Pollio, insignis acerrimusque Romanorum literator, obicere non dubitauit. Summatim sic de his scriptoribus existimandum est, ut, in lectione Sallustio Liuioque praemittantur triumuiro illi linguae Latinae, Nepos, Caesar, Cicero, quibus in succum et sanguinem redactis, styloque ad optimam formam confirmato, reliqui duo, Sallustius nimirum et Liuius, iudicio, delectu fructuque, haud paulo maiori, quam uulgo fieri consuevit, euolui possunt. Ex poetarum numero principem hic locum obtinet, Catullus, Tibullus, P. Virgilius Maro, Horatius Flaccus et Ouidius, quibus adiungendi sunt, Propertius, quorum antiquior, ipso etiam Virgilio, est Catullus, a Tibullo tamen et Propertio, ob argumenti similitudinem, haud temere disiungendus. Hos subsequuntur Marilius, Caesar Germanicus, Gratius, Peto Albinouanus, de quo extremo uid. Crinitus, d. l., III, 63, Gyraldus, d. l., p. 229, Fabricius, d. l., p. 225, sq., Funccius, de Virili aetate Lat. linguae, p. 288, VValchius, d. l., p. sq., 59, Halbauerus, d. l., p. 47.

IX *Cornelius Nepos*, scriptor plus satis notus, dignusque adeo, qui omnibus omnium manibus teratur. Princeps utique haberi debet generis dicendi tenuioris quidem illius, at perelegantis tamen, nec unquam satis, non tiroibus solum, sed provecioribus quoque et uiris, commendandi. Ex Vitae eius librum alterum, tantum non penitus amissum, hodie desideramus, cum



cum solus ex Romanorum Imperatoribus Cato sit superstes; Tanto carior nobis debet esse prior ille Nepotis liber, Vitas excellentium Graeciae imperatorum complexus, praeterque hunc Vita T. Pomponii Attici, amici Ciceronis, quo nihil unquam doctius, elegantius, sapientius, antiqua gens illa Romanorum habuisse videtur.

Ex editionibus, quarum bene iam multae prodierunt, ceteris omnibus facile praestat Bosiana, quam Io. Andr. Bosio, polyhistori Ienensi eximio, debemus, tertium recusam Lips., 1675, 8., in qua editione, Bosianarum optima, accesserunt non nulla, quae in prioribus Bosii editionibus nondum extant. Conf. Vossius, de Hist. Lat. I, 14, Dan. Vilel. Mollerus, in Diss., de Cornelio, Altorfii, 1683, habita, Fabricius, d. l., p. 61, sqq., Funccius, d. l., p. 224, sqq.

SCHVRZEL, C. Nepos, et dictionis munditiam, Augusto aevo dignam, seruat, et caractere tenui historiam, quae excellentium imperatorum vitas complectitur, adornat, et simplex, purus et acquabilis, est, neque numerum quaerit, et compositionem, sine ornatus studio, aptam elegantemque retinet ac tuetur. Scriptor, de Viris illustribus, multo recentior est, neque aequat puram castamque Nepotis dictionem. A Cicerone tamen in plerisque phrasibus insigniter discrepat, ut, Cicero, celare aliquid aliquem, Nepos, celare alicui aliquid, dixit, Alcibi, c. 5. Tum vero etiam ταισολογίας vitium ei obicitur, quod excusari commoda ratione potest. In Miltiade, c. 1, deliberatum mihi, qui consulerent, ubi tamen elegans, et decora structurae indici et emphasis obseruantur. Quo uid. Io. Rauus, in Obseruat. Philologicis, ad Miltiadem, p. 8 et 83. Fragmenta eius collegit Andr. Schottus, perinde, ac I. Caesaris, Fulvius Ursinus, Tullii, Car. Sigonius, et, post eum, Andr. Patritius, Sallustii, Aldus Manutius, Ludou. Carrio, conquisuerunt diligenter et collegerunt.

Insignis et egregia est editio Dionysii Lambini, quae huius et Gyberti Longolii, H. Magii et Io. Sauroonis, commentariis aera expositaque est, et Francof., 1608, f., prodit in lucem, apud heredes Aubrianos. Hinc I. H. Boeclerus, Henr. Ernestius, A. Buchnerus, I. A. Bosius, G. C. Kirchmaierus, alii, quae, excitati, Nepotem, maiori forma, ediderunt, adiectis etiam notis, quae laude sua fraudari non debent. Bosii editioni Lambinianae et Schottianae, et Ernestii notis, permultum debet. Omnium, quod scio, antiquissima est editio Veneta, 1473, et, ibid., 1499, f., emissa. Tum in Gallia Ioannes Sauro, Paris., 1602, Dion. Lambinus Paris., 1636, quae postea Francof. recusa est, Ioannes Rauus, 1636, Boeclerus,

1648, 8. Ioannes Loecenius, 1654. Bofius, 1657, 8. Kirchmaie-  
 rus, 1665, 8. Rob. Keucheni, 1662. Hildebrandi editio ad iuanda  
 tironum studia spectat. C. Nepos, Latin. Germ., cum notis Abr. Scul-  
 geti, Francof. ad M., 1679, 12. Vitam Attici recensuit et notis illu-  
 stravit H. Ernstius, Amstel., 1672, 8. Exinde concludo, C. Nepotem,  
 non alio, quam optimo, uixisse Latinitatis aetate, et, sub Caesare, ho-  
 ruisse, atque ad Augusti, sub quo, factis concessit, tempora pertinuisse.  
 Deceptos igitur fuisse, qui ad Theodosiani imperii aetatem detruserunt,  
 cui tamen seita elegantique Corneliana dictio congrere non potest;  
 quod ipse agnoscit H. Magius, Anglarensis. Tum, scripsisse libros, de  
 Viris illustribus Rom., quorum meminit ipse in Vita Hannibalis. Eius  
 etiam mentionem fecit Gellius, N. A. VII, 8, et XV, 28, ubi Ciceronis  
 amicam et familiarem nominavit, et finibus aevi Ciceroniani circum-  
 scripsit. Neque cum ignoravit Plutarchus, qui, in Marcello et alias,  
 eius testimonio usus est, et inter Christianos eum commemoravit, in  
 Apologia, Tertullianus. Illos autem libros, qui de Viris illustribus in-  
 scripti, et communiter, sed falso, Plinio Secundo attributi sunt, a Ne-  
 potis aetate et stylo profus abhorre, affirmamus. Conf. Diss. Acad. praef.  
 CELL. C. Nepos perperam, sub nomine Aemilii Probi, Prodit, tan-  
 quam iunioris scriptoris. Est hic scriptor Ciceroni maxime aequalis,  
 interdum et ipsi praefendus. Scripsit Vitas excell. uirorum, quas  
 tamen non omnes habemus. Nam diuiserat eas in Vitas Graecorum  
 et Rom., sed Romanorum solum duas habemus, Catonis et Attici.  
 Stylus, ut iam dictum, est tersissimus et elegantissimus, ut iuuenibus  
 nunquam satis commendari possit. Et, si quis in historia Graeca uer-  
 satus fuerit, uberrimam messem exinde habebit. Vili penditur, quia  
 est perspicuus, sed in eiusmodi perspicuitate, qualis Cornelii est, confi-  
 sit maxima elegantia. Breuiter, cui Cornelius placet, ad fastigium  
 Latinitatis se peruenisse, credit. Editiones praecipue sunt Ernstii, Geb-  
 hardi, Boccleri, Vorstii, Biblioth. olim Berolinensis, sed omnium per-  
 fectissima est Bofii, quae habet notas uariorum et indicem copiosissi-  
 mum. Buchneriana etiam quaedam circumfertur, sed nihil Buchneria-  
 ni habet \*). Sine dubio aliquis, qui eius praefationes adiit, et dis-  
 ferentis uerba excepit, post mortem, edidit, cum ualde exiles notae  
 sint. Nostra etiam edito, ob notas, tum historicas, tum philologi-  
 cas, summaria cuique imperatorum praemissa, tabulas Geographicas,  
 et, ob indicem quoque tum rerum, tum uerborum, copiosissimum,  
 non negligenda uenit, semel iterumque recusa, in 12. Conf. Diss., p. 698.

X *Marcus Terentius Varro*, polyhistor, sigillatim criticus,  
 atque idem apud Latinos, quod olim apud Graecos Aristar-  
 chus

\*) Quaedam tamen Buchneri officinam redolent. Cum adhuc in uinis  
 esset, misit alias notas petenti Bofio, quas Bofius ceteris suis inseruit.

ehus, unde etiam rei criticae peritiores ab aliis Varrones, Aristarchi ab aliis, uocari solent. I. Caesari fuit a cura rei librariae, primusque fere omnium Romanorum bibliothecam condere coepit. Aetas quidem eius ad Tiberium usque, et longius, sese extendit, sed, ante ipsum tamen Catullum Lucretiumque, natus est Varro, nonagenario propior praecessit. Vnde mirari debet nemo, stylum ipsius interdum praesci illius atque obsoletioris aevi genus dicendi redolere, adeoque ad seculi Ciceroniani genium examinari debere. Ex operibus eius geminum extat opus, alterum, de Lingua Latina, de Re rustica alterum, neutrum tamen integrum fatis. In priore opere origines indagauit uocum Romanarum, sed parum feliciter nonnunquam, ut, exemplis haud unis, alii iam pridem ostenderunt. Antiquitatis uero causa aestimantur a plerisque, etiam plus interdum, quam fortasse merebantur. Vid. Cicero, Acad. Quaest. L I, Hanckius, d. I., II, 6, VVagenseilius, d. I., p. 806, Fabricius, d. I., uol. I, p. 46, sqq., uoll. II, p. 82, sqq., VValchius, d. I., p. 50, sq., Funccius, d. I., p. 305, sq.

Ex edd. operis, de Lingua Lat. praestat Scioppiana, Ingolst., 1605, 8; Iosephi tamen Scaligeri editio, ob egregias in hunc librum notas, coniungi meretur, Paris, 1565, 8. Alterius operis, quod, de Re Rustica inscribitur, editio plenissima est, Amstelod. Ianfonia, 1623, 8. Insignis quoque est ed. Sylburgiana, quae Heidelb. 1596, 8; prodiit, in qua editione ceteri quoque scriptores rustici, nominatim, Cato, Columella, Palladius, conpiciuntur.

**SCHVRZFL.** Varro magis doctrinae uarietate, quam styli nitore, excellit, et Latina quidem sciuit oprime, sed origines uocabulorum infelicissime inuestigauit. Non secus, atque Plato, apud Graecos, in etymis non semel errauit, qui Graece tamen doctissimus fuit. Editio Varronis, de Re rustica et de LL Dordraci, 1619, cum notis uariorum, Adr. Turnebi, Paris, 1583; et ibid., de Re rust., 143; cum notis Auf. Popmae, Lugd. B., 1601, 8, Bononiae, ex recensione Beroaldi, 1504. Optima est editio Commeliniana, quae de Re rust. extat, 1595, 8.

**CELL.** Varro uulgo Romanorum doctissimus uocatur, Comica et tragica innumerabilia scripsit, et in fragmentis comicorum poetarum ad-

huc eius sententiæ allegantur. Superfunt III LL., de Re publica, li. VI, de L. L., quamvis non integri, elegantes tamen, et instar lexicorum nostrorum elaborati. Rarior hic scriptor et n paucorum manibus est, stylus eius, ob profundam eruditionem, interdum minus gratus et iucundus.

XI *M. T. Cicero*, princeps non eloquentiæ solum, uerum ingenii quoque et doctrinæ, omnes inter Romanos, quotquot unquam, aut usquam, floruerunt. Cuius laudibus prosequendis, Cicerone ipso laudatore opus esset, quæ tamen ipsæ notiores sunt tamque peruulgatæ, ut actum agere uelit, qui hunc eloquentiæ quasi deum, seu maus, hoc eloquentiæ flumen, suis laudum riuulis irrigare conetur. Interim diffidendum non est, idem fere Ciceroni accidere, quod uirtuti, quæ laudatur ab omnibus quidem, sed etiam apud omnes alget, cum nemo non Ciceronem ad imitandum commendet, at nemo fere quisquam digne satis imitetur. Contra quem seu morbum animi, seu errorem, medicinæ loco poterit esse illud Fabii, Instit. Or. X, 1, dicentis, *Ille se profecisse, sciat, cui Cicero ualde placebit.* Vitam Tullii copiose ac diligenter ex antiquis exposuit Plutarchus, qui etiam cum Demosthene ipsum contulit apte et comparauit, quem librum disputationibus quatuor egregiis, sub I. E. Ostermanno, publice quondam hic habitis, illustrauit Io. Georg. VVilekius, Rector olim et Prof. illustris scholæ Misæ, ex recentioribus omnium optime Franciscus Fabricius, cuius elegantiss. liber non modo seorsim prodit, Colon., 1563, 8, et alibi, uerum etiam plerisque melioribus operum Cic. editionibus est subiunctus. Ex edd. OO. Cic. adhuc nulla, quod constat, elegantior præstantiorue prodit illa Batauorum, quam Gronouius, iunior, præmissa etiam Franc. Fabricii Historia Ciceronis, perpoliuit ac edidit, eamque geminam, alteram, in 4, alteram, in 12 mai., uno tamen et eodem utramque anno. Cum tamen exilioribus utraque hæc editio Gronouiana sit expressa literis, et, cui tam lyncei non sunt oculi, commendanda uenit uel editio Camerariana, Basil., 1549, Tomis II, f., uel Gruteriana, ceteris fere omnibus castigatior, Hamb., 1618, totis

totidem Tomis, eademque forma mai. Eadem Gruteri editio recusa quidem est Londini G., 1681, f., ab qua tamen sedulo cauere sibi debet, qui accuratiorem Ciceronis editionem praepoptat. De aliis OO. Cic. seu edit., seu interpretibus, consuli potest libellus, minime spernendus, C. Sagittarii, Prof. olim Iesenfis, de Lectione, imitatione, interpretibus editionibusque, Ciceronis.

SCHVRZEL. Prima cura sit, imitari Ciceronem, eius oratio copiosa et elegans, grauis eadem ac numerosa, omnesque uirtutes complectitur, quas uix alii habent singulas, aut pari felicitate non assequuntur. Is enim a natura et ulu plurima adiumenta habuit, et Graecos oratores, poetas et philosophos, maxime serios uitaeque instruendae utiles, legit, Isocratem, Demosthenem, Homerum, Hesiodum, epicos, Euripidem, Sophoclem, tragicos, Platonem et Aristotelem, sapientiae doctores, ex quibus multa in sua transtulit, moratamque orationem, quam philosophia temperat, exornauit. Adiunxit etiam historicos maxime principes, et doctrina prudentiae insigniores, ut, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Theompompum, cuius scripta sunt deperdita, qui stylo graui et Isocratico historiam consignarat. Iuri quoque dedit operam, et Q. Mutium Scaeuolam audiuit ICium et secutus est, foroque se praeparauit, et pulchre grauiterque pro rostris dixit, quin Graeciam Asiamque adiit, doctrinae causa. Vid. Plutarchus, in Vita Ciceronis, Aconius Pedianus, cuius editio melior optanda, Sebask, Corradus, qui saepe tamen sui obliuis est, Franc. Fabricius, in Cic. hist. quam Gruterus editioni Cic., Colon. 1575, praemisit, separatimque prodit Helmsfad., 1620, 12, Hamburgi, 1672, ad lectionem Cic. pernecessaria, Christoph. Preyßlius, in Vita eius, P. Rami Ciceronianus, in quo omnia Ciceronis studia et instituta persecutus est, Favianus Strada, in prolusionibus Academ., Iac. Masenius, in Palaestra. Eius liber, de Republ. intercidit, fragmenta tamen supersunt. Consolatio, quae Cic. ascribitur, a stylo Cic. recedit, quod rite probauit, Io. Vilhelmus, contra C. Sigonium, Dialogi quoque Cic., de Legibus, non sunt desumpti ex legibus XII Tabb., argumento uocabulorum multo recentiorum, etsi alias quandam formularum et capitum similitudinem habere intelliguntur. Errant igitur hic recentiores quidam, qui eam sententiam fouent.

Luculenta Cic. editio est Aldina, sed non plena integraque, quam curauit Aldus Manutius, senior, formaque eleganti et portatili, Venetiis, 1519. 22, concinnauit. Postea Io. Sturmus, Argentorati, adornauit, sed nec styli nitore Venetae respondet, et multis, neque excusandis, icaeter mendis. In plerisque Orationes et Epistolas commentatus est P. Manutius, qui etiam luculenter scripsit complexusque est antiquitates

Romanas, de Comitibus, legibus, senatu, civitate Rom., quae Ciceronem legenti commodo sunt atque adimento, in exponendis Rom. antiquitatibus, ritibus et rebus. Lambiniana cum notis prodiit Lutet. Paris., 1566, f., quae critico acumine et variis lectionibus abundat, sed coniecturis saepe indulget, atque a fide et autoritate Codicum recedit, Gruteriana Hamburgi exiit in lucem, 1618, f. eiusd., quae multum decessit ex castigationibus Petri Victorii, viri doctissimi, additis Io. Vilelmi notis, quas diu quaesivit. et tantum nactus est, Ianus Gruterus, Freigiana, prelo VVeckliano adornata est Hanou., 1614, 8., quae parabilis et tironibus inferuit, sed eius notae sunt nimis tenuae ac saepe inanes, et laborat ignorantia antiquitatis. Hinc praestat editio Paris., 1566, et Lugd. G., 1562, et 1588, 4. Illa ex castigatione Boulietii, viri insignis, IV uoll., 8. Nostra memoria Io. Georg. Graevius Traiecti, apud Batauos, in hanc operam incumbit, et insignes commentarios selectasque in Ciceronem notas, in noua editione, recenset, atque coniungit, ut specimen dedit in Epist. ad Famil. et ad Atticum, atque in Offic. Cic., nudiudic stylo et commodiore forma, sed interdum obseruare licet negligentiam correctoris. Opera eius prodierunt Lugd. B., 1692, 4., et 12., uoll. V. In Cic. commentarios et notas edidit iam olim Q. Alcon. Pedianus, cuius uariae extant edd., Paris., 1523, optima, Basileusis duplex, 1553, et 1594. Bataua Lugd., 1644, et nouissima, 1675. Scriptor bonus utilisque, et ineptus nostri acui commentatoribus, qui, cum P. Ramo, tropos tantum et schemata eruunt et annotant, praefendus, nisi, quod plerunque mendosus, laeet et mutilus est, non ipsius quidem, sed insulsi cuiusdam Grammatici, culpa. Commentatus est in Verrinas Oraciones IV, sed quatrae initium tantum superest, in Orat. pro Balbo, maicstatis reo, in Orat. contra Antonium et Carilinam, in Orationem contra Pisonem, in Orat. pro Scauero, denique in Orat., pro Milone. In hanc etiam Iac. Cruuius Antwerp., 1584, 4., in Verrem praeterea P. Nonnius, Louanii, 1546, et P. Manutius in Philippicas, M. A. Muretus, Paris., 1562, Georg. Trapezantius, it. Maturantius, Beroaldus et Alesius, Paris., 1529, it. cum uariis, ibid., 1740, et P. Manutius, Venetiis, 8., ac deinde Col. Agripp., 1579, pro Sexto P. Manutius, Venet., 1559, 8., et Col. Agripp., 1579, R. Petreius, Paris. 1555, pro Flacco Quinto et Fonticio Franc. Syluius et B. Latomus, Muretus iun., 1539, pro Roscio Amerino Fr. Syluius et B. Latomus, Muretus, Paris. 1562, Georg. Trapezantius pro Roscio Comoedo Franc. Syluius, pro Lege Manilia B. Latomus, ibid., 1571, in Oraciones III contra Rullum, ib., 1576, Adr. Turnebus, uir magnus, in Cic. Topicam scripsit Severinus Boethius, cum commentariis Io. Visorii et B. Latomi, it., 1542, et separatim, 1532. In Cic. Oratorem Iac. Ludou. Strebacius, 1536, Victor Pisanus Lugd., 1563, Audomarcus Talaeus, ib., 1533, 4.

11

In Rhetoricam ad Herennium Fabius Victorinus, rhetor, Hieron. Capidurus, Gispertus Longolius, Pontanus, cum castigationibus Victorii, ed. Venet., 1546, f., Franc. Maturantius, Anton. Mancinellus, Iodocus Badius Ascensius Lugd. G., 1517, quorum effector librorum non est Cicero, ut putavit Mancinellus, sed quidam Cic. lectioni deditus, non tamen id consecutus, ut Cic. stylum acquaret. Vid. erudita disquisitio Ascensiana. Sed in iis desiderantur Pelletarii, Petreii, P. Manutii, aliorumque notae, et ipsae M. Aconii Pediani commentationes. in librum de Fato P. Ramus, Paris, 1550, 4, Adr. Turnebus, it., 1552, 4.

In Somnium Scipionis, Elias Vinetus, edit. Burdigal., 1579.  
In Lucullum, Io. Rosa, Francof. ad M., 1571, simul et in Fragmenta librorum Academ., L. I, et in librum, de Finibus. In libros, de Officiis Petrus Marsus, Fr. Maturantius, I. B. Ascensius, ed. Venet., 1540, f., H. VVolfius, Basl., 1569, f., C. Calcagnus, in Disquisitione, in Officia, quem castigavit Iac. Grifolius, ed. Lugd. G., 1562, tum et commentarii Caleagnini, Paris, 1550, et 1556, 4, etiam Mart. Henrici, Saganensis, Vitteb., 1582, 8, Xyftus Betulecius Basl., 1544, 8. In Catonem Maiorem, Franc. Syluius, utilem lectu librum, Basl., 1530, edidit. In Laelium, seu, de Amicitia, uarii, et iidem fere, qui in Officia scripserunt. In LL., de Finibus Vilhelmus Morcellus Paris., 1545, Ioannes Rosa, 1571, 8.

In Tusculanas Quaestiones Ioach. Camerarius, 1543, 4. H. VVolfius, 1580, Beroaldus, Manutius, Erasmus, Victorius, Leodegarius a Quercu, Paris., 1558, 4. In Partitiones Cic. Claud. Minos, Io. Sturmius, 8. De Ciceronis imitatione tradit P. Bembus, qui et uerba, et compositionem, et numerum, Cic. maxime probat et ceteris praefert, recteque respondet Io. Francisco Pico, qui philosophiae magis, quam styli, peritia celebratur. Vid., edit. Basl., 1566, 8, Argentor., 1609. Stephanus Dolerus, cuius extat Dialogus, de Imitatione Cic., Lugd. G., 1535, C. Sigonius, in Dialogo, quilibet doctus et hoc auctore dignus est, sed, ubi iudicium, de Consolatione Cic. interposuit, errauit, et recte castigatus est ab Ant. Riccobono. Vid. ille pro Consol. Cic., Parauii, 1584, editus, hic Vicentiae, 1584, et, iudicium huius secundum, rursus Vicent., a. e., Paulus Cortesius, in Epistola, quae extat inter Politiani Epistolas, IIX, 17, Io. Sturmius, in libro, de Amissa dic. rat., qui liber est summe eruditus, qualis uiuante scriptus in Germania. Ante hos omnes Fabius, censor acris, sed interdum iudicio lapsus, in arte tamen Rhetorica excelluit, et merito ab omnibus debet legi. Huc spectant eius Declamationes, emendatius editae a Pirhaeo, Lutet. Paris., 1580, Heidelb., 1594, apud Hieron. Comelinum. Omnino ei acumen in Declamationibus tribuendum est, sed flumen ei quoque tribuit Sidonius, cadentis autem Latinitatis scriptor,

qui pro iudice cadentis Latinitatis se ferre non potest. Vid. Cortesius in epist. pererudita ad Petrum Castellanum, Episcopum Tutelensem, ed., 1562.

Numerum docet Iouita Rapius, Argent., 1568, Capidurus, in Appendice Rhet. ad Herenn., Colon., 1685, 1570, F. G. Trapezuntius, Ioannes Sturmus, in Parric. Cic., p. 48, 149, de Amiffa dic. rat., Melch. Iunius, in Orat. Cic., Argentor., 1585, ipse ante omnes Cicero, in Orat. ad Brutum, in quo omne hoc artificium complexus est, ut bene operam sumant, qui Oratorem cum Partitionibus eius coniungunt, quandoquidem hi libri tales sunt, ut nunquam satis laudari queant. Libros, de Inuentione, adolescens scripsit, eosque, factus est, esse imperfectos. Oratorem enim ad Brutum non aequant, legi tamen possunt, ita, ut plus lectionis in Oratorem impendatur. Hinc Rhetorica ad Herennium et Hermogenes subiungantur. Alii, non abs re, existimant, a Partitionibus et Herenniani Rhetoris, Coraificii, seu Gallionis, praeceptis initium esse faciendum. Hinc ad Cic., de Oratore, Dialogos et librum, de Oratore perfecto, aliosque eius argumenti, progrediendum, arbitrantur. Vid. Michael Toxita, in Comment. Rhetoricorum ad Herenn. In uniuersam doctrinam Cic. commentatus est Ant. Riccobonus, edit. Francof. VVeichel., 1596, 8, Vldaricus etiam Zasius non nullos, de Re Oratoria, libros illustrauit. Interpretandi ratio desumenda est ex Ciceronis III, de Finibus, et exempla ab eo petenda, quae passim, in libris eius atque Orationibus extant, in quibus Platonem, Demosthenem, Aristotelem, imitatus est, non tam, ut uerbum uerbo redderet, quam, ut sententiam, apta et digna Latinis auribus oratione, exprimeret atque expoliret. De interpretatione ceteroquin uideatur in libris II, crudite conscriptis P. D. Huettius, 1686, optime editis, ubi non tam oratoris, quam interpretis, officium continetur, quod orator quidem non nescire, sed aliter instruere, et expolire magis atque amplificare, debet.

Neque hic praetermittenda sunt Ciceronis Synonyma, Victorii et Stephani Elisei, Venet. 1515, quae autor praef. in Cic. Orationes Colon. editas, Statilio Maximo tribuit. Certe is librum composuit, de Singularibus, apud Cic. positus, cuius meminit Sosipater Charisius, Instit. Gramm. II, sed deperditus est liber, magno cum rei literariae detrimento. Inter singularia eius refert praedictus, *stomachose*, pro quo uisitatius dicamus iracunde. Sic *rarenter*, pro raro, obseruandum magis, quam imitandum, \*) Adiuncta, seu Epitheta, Ciceroniana ali-

\*) Idem Schurtzfl. in Praelect. Orat., ita de hac re mentem explicauit suam. Sunt quaedam Ciceronis singularia et selecta, quorum significationes uulgo non intelliguntur et eo diligentius obseruari atque imitatione effingi debent. Inter haec quaedam sumamus et sigillatim expona-



quo labore congeffit Iac. Cellarius, Augustanus, Bassl., 1589, quorum numerum inquit atque ex aliis pariter scriptoribus collegit Sebast. Fugulus, quae nisi distinguas et eligas, Stylum maxime reddes inaequalem.

Multum refert, delectum habere uocabulorum Cic., et discernere characterem, quo scripsit. Multa enim usurpauit in libris philosophicis, quae in Epist. et Orat. statim referre non licet. Tum, quae ex poetis adducit, cum prosa eius nihil commune habent, in primis quoque uerae germanaeque uocabulorum significationes inuestigandae sunt, quod perpauci faciunt, et plerique, etiam docti, ignorant, in quo errauit ipse Nizolius, et multis sane uocabulis alienum affinxit sensum, quod Lexicon refingi oportet, si uere Ciceronianum appellari debet. Tum, in Syntaxi, quam exemplis subiicit, crassi interdumprehenduntur errores, et contra mentem usumque Ciceronis effertur.

Venire tamen usu solet, ut quaedam Ciceroniana et Latina quibusdam imperitis *Teutonismum* referre uideantur, cuiusmodi sunt, uultae dictiones, quae uiros per saepe eruditos deceperunt, quod exemplis probatum est ab H. Stephano, et, qui eum secutus est, Io. Voisio, in libro, de Latinitate falso suspecta,

Perigitur absurdi sunt, qui Ciceronem castigant et corrigunt, siquid in eo redundans, aut deficiens, notant, quod tamen non redundat, uel

D

deficit.

exponamus. Sic Cicero uocabulum *locaepletis* interdum sumit pro *idoneo*, non *opulento*. Eleganter quidem et in genere etiam iudiciali perapta. Similem in modum obscurus in agendo dicitur, qui consilia celat, et rationes agendi occultas inquit. Eodem modo natura et uis proprietatis recte inuestiganda et eruenda est. *Exinaspire* enim Ciceroni est, *per um auferre*. Item *reconciliare*, quod interdum quoque significat recuperare (ut reconciliare salutem, furor inferorum amissum). Eo spectant uocabula, *commodi*, *imperiti*, *unctioris*, et huius generis alia, quae uulgo minus recte exponuntur. Similiter hic obseruanda sunt exempla connectendorum per particulas nominum et uerborum, quae haud secus obseruari et eleganter adhiberi debent, semper autem mendosae lectiones caute cuitare, quae plerosque interiorum literarum ignaros fugiunt, nec accurate distinguuntur. Quaedam tamen a Cicerone omissa, aut non usurpata recte, nihilo minus autoritate Caesaris et Liuii, et aequalium, usurpantur. *Vt, implicata cum illa re est ratio*, id est, cohaeret. Implicatum cum illo et cohaerens. Vitari ergo debent lectiones uitiiosae. *Praenuntiatuus*, pro praenuntius, *insultus*, pro incuslus. Prouerbia et periphraes per praepositiones Cicero non libenter usurpat, quod est, poetarum, e. c., ille ab Samo mathematicus, pro quo orator dicit Samius mathem. Sic I. C. Scaliger, Veronenis poeta eloquitur, a maioribus Veronae oriundus, Atacelinus doctor, doctor ab Athesi.

deficit, sed, uel auget significationem, uel intendit, uel ornatum duntaxat orationi affert. Hanc in modum *facere redundans* uidetur, quod tamen est ex ingenio et usu Latini sermonis, quod etiam Victorius agnouit. At, in synonymis, et se mutuo explicantibus, uocabulis, cura in primis et cautione opus est, in quo errauit Nizolius, et pleraque coniunxit, quae seorsim poni ac seiungi, oportebat. Absurde putat, esse Synonyma, *contortius* et *deslexus*, quae separatam omnino habent significationem. Vid. H. Stephanus, in Nizolo Didascalie, p. 32, lqq. Alioquin in apta synonymorum coniunctione mirae est elegantia, et cum primis eo spectat, ut uerba plenius sonent, numerumque expleant, et decore ornent, quod in expositione et incremento apertissime perspicitur, in quo genere artifex est Cicero, ut, cum dicit, *se uereri, metuere, commoueri et pertimescere*, in Orat. pro Quinctio, et ibidem Alphonfus Aluaradus, Hispanus, ubi non est uitium redundantis alicuius partis, sed plenius significantis. Vt, *his meis oculis uidi*, est elegantia, non Pleonasmus. Aliquando etiam subinde intelligitur aliquid, et non plane effertur, quod tamen facile intelligitur, et idem est, ac si plene diceretur, ut, in Verrina VI, *ad eam rem istos fratres sibi oratos fuisse*, id est, usui et adiumento fuisse. Grammaticorum observationes cum usu et exemplis coniungendae sunt, alioquin eis tuto temper inniti non possumus, quod luce meridiana clarius est, et ostendere haud difficulter licet. Donatus ait, *posse nos aliquid iure*, quod usus refutat Ciceronis, apud quem *poscere* etiam minus est, quam *postulare*, et cum uerbo *petere* etiam paria facit. *Posce te opem, auxilium, recte dicitur*. Qua in re nimium sibi plerumque indulgit Laur. Valla, et uocabulorum differentias, ex ingenio potius, quam exemplis, deprompsit. Nec uero protinus reiciendum est, quod uulgari loquentium usui minus congruit, ut, cum uerba praepositiones recipiunt, quae omitti potuissent, ut, *propugnare pro alicuius salute, repugnare contra ueritatem*, quae Latinitissima sunt, et Ciceroni usurpata. Ille enim ait, *propugnauit reu-*

*publicam*. Redeo ad Nizolium, quem expurgandum esse, commonui, cum quo alii hunc laborem susceperant, sigillatim Anton. Schorus, uir Latine doctissimus, cuius Thesaurus Argent. 1780, 8, exiit in lucem. Praeter hos Thesaurum Ciceronianum edidit C. Stephanus Paris. 1776. Nec praetermittendus est Thesaurus bipartitus, alter Ciceronianus recognitus, alter ex aliis quoque Latini sermonis autoribus compositus, edente Ludou. Lucio, Basil. 1613. f. Tum Forum Romanum struxit C. S. Curio, quod Basil. 1776, prodit, T. III comprehensum. Elogia denique Ciceronis exant apud Longinum, de Sublimi genere dicendi, et apud Quintilianum, qui Ciceroem cum Demosthene comparauit, palmamque illi detulerunt. Conf. ipse Cicero, de se et stu-

diis

illis suis, in Bruto, Plutarchus, in Vita Ciceronis, Plinius, V, 22, ex eo Succovius, in Hassenseinii opusculum, p. 393, Cangelius, de Rom. Familiis, p. 398, sq.

XII C. *Iulius Caesar*, Imperator gentis Romanae, omnium et genere, et doctrina, sigillatimque eloquentia, omnibus denique naturae, corporis, fortunae, dotibus, longe praestantissimus, audire, scribere, legere, dictare, idque una et eadem opera, solitus. Matheos quoque insigniter peritus, nominatim Astronomiae, cui, inter ipsa saepe proelia, operam dare non grauatatus est, unde et peritissimas quoque, inde ab Aegypto usque, eruditi pulueris doctores arcessiuit, aut excitauit, quorum utique et studio factum est, ut expeditiores hodie Calendarii Romani rationes habeamus. Ex scriptis eius, uarii generis, solum, ad haec usque tempora, Commentarii, de Bello Gallico, et, de Bello Civili, supersunt, quibus, teste ipso Cicerone, nihil in hoc genere limatius perfectiusque fingi potest. Conf. omnino Hirtius, in prooemio L. II, de B. G., quem superioribus septem ipsius Caesaris Commentariorum libris subiunxit. Add. ex recentioribus P. Manutii praef., editioni Caesaris Venetae initio praemissa, deinceps uero Epistolis Manutianis, cum aliis eius praefata, annexa. Vid. Hanckius, d. I., p. 99, sqq., Fabricius, d. I., uol. I, p. 156, sqq., uol. II, 186, sqq., Boeclerus, Bibliograph. Crit. p. 262, sqq., Funccius, d. I., P. II, p. 206, sqq., VValchius, d. I., p. 566, sqq., Reinhardus, d. I., p. 375. Inter edd. ad usum iuuentutis quotidianae comparata est ed. Cellariana, Lips., in 8. Omnium uero nobilissima notisque instructissima est ed. Iungermanniana gemina, prior Francof. ad M., 1606, 4, posterior ib., 1669, 4, sed minus emendata priore, periodorum tamen numeris distincta. Illud, praeter ceteras, singulare habet ed. haec Iungerm., quod metaphrasin simul exhibet Graecam anonymi quidem, uerum, ut plerique credunt, Maximo Planudi, monacho Graeco longe doctissimo rectius, quam aliis tribuendam.

SCHURZEL, Caesar proxime a Cicerone legendus. de quo dubitare licet, meliorne Imperator, an scriptor, fuerit, cuius dictio pura, lenis et profluens

profuens est. Quorsum uid. Cicero, ad Brutum, Tranquillus, 12  
Caesare, c. 55, sq., Fabius Quintilianus, Instit. Or. X, 1, Ioannes Lu-  
dou. Viues, Lud. Carrio, in L. L. Obseruat. I. Lipsius, G. I. Vossius,  
de H. L. I, 13, de Arte hist., c. 12, Balth. Bonifacius, in Hist. Ludicra,  
Iac. Masenius, Praschius, in Roseto, et perplares. Ceterum Afinius  
Pollio ueritatem et fidem in eo desiderat, sed eius iudicio non stan-  
dum, qui non modo in Liuium, sed etiam in Caesarem, iniquus fuit.  
Vid. Suetonius, d. l.

Variae Caesaris editiones sunt. Aldina, 1571, 8., et Plantina, 1593, es  
1606, cum annot. MSS. Cluuerii, et, 1536, 12, apud Sebast. Gryphi-  
um, cum uariis lectionibus MSS. Iani Gruteri, quam ex Bibliotheca  
Goefiana emit Gronovius, junior. Francof. opera Iungermanni, cum  
notis uariorum et metaphrasie Graeco, 1606, 4, ed. opt. et, 1669, 4,  
priori longe inferior, cum figura, ib., ex museo Iac. Stradae, 1575, 4,  
cum annot. H. Glareani, Fuluii Vifini, Aldi Manutii, Fr. Hottomanni,  
Lugd. B., per Arnoldum Montanum, 1637, et 1670, 8, Paris., 1678, 4,  
in usum Delphini, Lond., 1693, 8, Amstelod., 1697, 8. Inter has Iun-  
germanniana et Stradae editiones ceteris praestant, nitore typi Plan-  
tiniana se commendat, mendis tamen non uacat. Documenta sunt  
loci, I, 33, III, 12. Obseruanda hic sunt uocabula Caesaris singularia,  
*potentatus, soldurii, maturrime, carri, effeda, translucente, circum-*  
*missi*, et similia, a) In laudes suas aliquando effusiores putant histo-  
riae censores, ut Camdenus, Antiquit. Britanno, p. 68. Error ab illo  
uel semel admissus in Geographia, VI, 31, de Portu Iecio, V, 5.

CELL, C. I. Caesar, sicuti rebus gestis clarus et magnus est, ita doctrina  
non minor fuit. Namque Latinitatis purioris studiosissimus et accu-  
ratissimus obseruator, ut ipse fateatur apud Gellium, I, 10, dum dicit,  
*Insolens aliquod et inauditum uerbum non aliter, ac scopolus, uitan-*  
*dam esse*, Scripsit bellum Gallicum, seu commentarium, de B. G. et C.,  
cui quae adiecta sunt, a Hirtio Panfa, uel Oppio, credentur subnexa.  
Quod ad stylum, sane elegantissimus et purissimus scriptor est, prop-  
terati uerborum in primis studuit, quae obsoleta ferre non poterat.  
Quicunque igitur puritate et proprietate uerborum delectatur, I. Caesarem  
euoluat, cum ex eo naturalis indoles Latinitatis cognosci possit.  
Circa argumentum interdum est fastidiosus, e. e., cum pontes Roma-  
nos descripsit, est nimis copiosus, unde illa inter legendum omitti possunt  
b), Editiones uariae dantur, quarum potiores sunt Godofr. Iun-  
germanni, 4, quae omnes commentarios ueteres coniunctos habet.  
Insuper etiam Metaphrasen Graecam complectitur, qui in aliis non re-  
peritur, Io. Goduini, Prof. Paris., cum commentario et indice, non ta-

a) Vid. Illustris Io. Vil. de Berger, in libro per erudito, de Naturali Putehri-  
tud. Orat., p. 382, sqq., et Dissert. Acad. p. 215, sq.

b) Ad mathematicas tamen uoces tersius reddendas, haec ipsa Caesaris  
capita uel maxime sunt apta.

men adeo magni momenti, 4. Eadem edit. recusa est ab Anglis in 8.  
mai. Recentissima est, quae ante aliquot menses a Graevio sereniss. iu-  
uentutis Principi Brandenburg. dedicata fuit, in 8 mai, Conf. Diss. p. 703.  
XIII C. *Sallustius Crispus*, nervosissimus, prudentissimus  
breuissimusque, scriptor, elegans quoque et imitatione dignus,  
si Archaismos quidem exceperis. Concilior iusto etiam est  
interdum, adeoque obscurior ceteris omnibus aurei huius se-  
culi, quippe, qui omnes fluidum ac naturali quadam elegan-  
tia fulgens scripturae genus sectati sunt et amplexi. Qui  
numerum in Sallustio desiderant, in his fortasse iudicium de-  
siderare liceat, ut merito iisdem indignetur I. C. Scaliger,  
numerosum in Sallustio suavitatem pariter, ac gravitatem, pro  
ea, qua pollebat, sagacitate et doctrina, et agnoscebat, et com-  
mendans. Vid. Quintilianus, Inst. Or., II, 5, II, 3, X, 1,  
Vossius, de H. L., I, 15, Morhofius, d. l., p. 142, sqq.,  
Boeclerus, d. l., p. 265, sqq., Fabricius, d. l., uol. I, p.  
149, sqq., uoll. II, p. 177, sqq., VValchius, d. l., p. 587,  
sqq., Funccius, d. l., p. 185, sqq., Stollus, d. l., p. 341.  
Ex edd. Sallustii lectori, minus exercitato, Minelliana commen-  
dari debet, sigillatim Roterodamensis, 1653, 8, cum ceterae  
editiones Minellianae sint exiliores minusque emendatae. In  
eo tamen reprehendi potest Minellius, quod diuinas illas, vel,  
ut Cellarius loquitur, coelo delapsas, Epistolas Sallustii,  
seu Orationes, quae, de ordinanda republica, ad I. Caesa-  
rem sunt scriptae, in editione sua praetermittere non dubita-  
rit, quas alioquin seorsim edidit laudatus modo Colerus,  
Norimb., 1599, 8. Fragmenta Sallustii prorsus egregia pari-  
ter omisit Minellius non solum, sed etiam alii complures  
Minelli editores, subiuncta editioni potissimum Boxhornia-  
nae, quam pereleganter excuderunt in Batavis Elzeuiri, 12,  
additis etiam aliorum ante Sallustium historicorum fragmentis, qui  
tamen a stylo iudicioque Sallustii longe abfuerunt. Fragmen-  
ta uero ideo Sallustianis subici solent, quod ille primus ex  
omnibus Romanis operae pretium fecerit in historia scriben-  
da. Instructissima omnium et castigatissima est editio Gro-  
nouiana, Lugd. B., semel iterumque recusa, in 8.

**SCHVRZFL.** Sallustius brevis nimis et conciso dicendi genere usus est, quod obscuritatem parit, dum abruptis sententiis, et uerba etiam prisca studiosius consecratur. Thucydidem maxime sequendum sibi proposuit, sed idem ille, ob breues concisasque sententias, a Cicerone, in Oratore, notatur, in quo optimum elegantissimumque orationis genus accurate et plane offendit. Interdum quoque imitatus est Demosthenem, et quaedam ex Orat. III Oymp. deprompsit, eaque Latina fecit, quod apparet, si Fragmentum Sallustii, quod, L. III, extat, cum Demosthenis oratione conferatur. Quorsum legere licet Vincentium Contarenum, de Frumentaria Roman. largitione. Sed nec in Demosthenis oratio numerosa quaeri debet, etsi Demosthenes summus Isocrates admirator fuit. Conf. elogia ueterum, in primis Criniti, Vossii et aliorum, immo, etiam ea, quae nouissimae Sallustii editioni sunt praemissa. Orationes duae ad Caesarem de Republ. ordinanda, Sallustium referunt stylo, et acere illud mordaxque ingenium apprime testantur. Sed, an Orationes potius, quam Epistolae, nominari debeant, quaeritur inter eruditos, et solet dubitari. Sane in deliberatione uersantur, et disertae sunt, et, hec modo, nihil uetat, dici Orationes.

Sallustii edd. multae sunt et uariae, Veneta, 1474. et 1565, f., Aldina, Romae, 1503, 8, Basil, 1564, cum uariis, et in primis L. Vallae, scholiis. Recentior Veneta, 1688, cum notis Aldi Manutii, 8, Medicea, Florent., 1576, Francof., 1607, ex recens. Giuteri, et, 1620. Io. Parei, Popmae, ib. 1629, Franqueurae Frisiorum, Lugd. B., cum notis uariorum, 1665, Christoph. Adami Ruperti, 1671. Nec tacenda est Plantin., 1579, Ludou. Carrionis.

**CELL. C.** Sallustius, scriptor nobilissimus et elegantiss. Acerrimus tamen eius censor est Seneca, Epist. CXIII. Aequalis fuit Ciceronis, et habet styllum Laconicum, estque perpetuus imitator Thucydidis. Habet formulas quasdam, nunc inusitatae, e. c., *exercitum facere*, pro, conscribere, quae, an tunc temporis inusitatae fuerint, certo scire non possum, sed, hoc non obstante, est scriptor, suo seculo dignissimus, maxime tamen cum iudicio legendus; e. c., saepe supplicium, pro supplicatione, et necessitudo, pro necessitate adhibet. Plures eius libri Historiarum deperditi sunt. Conf. Dissertat. p. 703.

Ed. optima et parabilis est Belgica, quam adornauit I. F. Gronouius, deinde etiam extat ed. Parei, tum Dan. Cispini, cum indice omnium uocabulorum, in usum Delphini, in 4 mai.

**XIII. I. Titus**, historicorum Romanorum, si styli historici uirtutes uniuerse spectes, sine controuersia, princeps, et lacteo quodam flumine exundans, nisi, quod interdum uoces dictionesque adhibet, Patauii fortasse potius, quam Romae, natus. Quod etsi negare quidam satagunt, nihil tamen agunt,

agunt, aut perficiunt, cum insitari nemo possit, haud pauca in scriptore hoc, maximo ceteroquin, et lectione pariter, ac imitatione, longe omnium, si Nepotem, Caesarem Ciceronemque, excipias, longe dignissimo, se offerre legenti, quae in aliis scriptoribus aureis, immo, in argenteis uix, ac ne uix quidem, occurrant, adeoque ad Ciceroniani illius acui indolem regulamque sint exigenda <sup>a</sup>). In ostentis prodigiisque referendis nimium saepe, credulus fuisse uideatur, quippe, quibus enarrandis non nunquam diutius, quam uirum tam grauem decebat, immoratur. Verax alioquin et magnae exquisitaeque prudentiae scriptor, et quem nemo sanae mentis homo, uituperauit unquam, aut repudiauit. Ex Graecis potissimum sibi Thucydidem ac Polybium, ex Latinis ipsum Ciceronem, imitandos proposuit, operaeque omnino pretium fecit. Vid. Quintilianus, Inst. Orat. X, l. Richterius, d. l., p. 519, sqq., Pope-Blount, d. l., p. 64, sqq., Boeclerus, d. l., p. 268, sqq., Casaubonus, in praef., Polybio praem., p. 54. Vossius, de H. L., I, 19, Morhøffius, d. l., p. 148, sqq., Clariss. Fabricius, d. l., uol. I, p. 178, sqq., uol. II, p. 178, sqq., VValchius, d. l., p. 605, sqq., Funccius, d. l., p. 241, sqq., Stollus, d. l., p. 204, sq. Ex edd. ceteras facile antecellit editio Gronouiorum, patris et filii, optime plenissimeque recusa Amstel., in officina per insigni Dan. Elzeuiri, 1679, 8, TT. III, recusa, eodem anno, ab Anglis Cantabrigiensibus, TT. II, 8, et Londini Anglorum, 1703, uoll. totidem, 8, sic tamen, ut editio Elzeuirianna, nomine haud uno, praestare uideatur. Editio, quam in Theatro Sheldon., 1708, 8, VI uoll., adornarunt Oxonienses, opera Io. Hudsonii, cunctas Liiu editiones uincit.

SCHURZEL T. Liiuus, Patavinus, grauitate iudicii, et ubertate orationis, omnibus Rom. scriptoribus antecellit, rectumque se et integrum probauit. Polybium diligenter secutus est, quanquam hoc, usus rerum et experientia, longe inferior fuit, sed facundus magis, et copiosus, nec tamen in Latino natus, et aetate optima Ciceronis recentior. Verbis interdum singularibus et compositione insuaui usus, quinetiam sui oblitus, et in errores prolapsus, cuius plurima libri in-

scri-

<sup>a</sup>) Hl. de Berger, d. l., p. 456, 9.

terierunt, neque decadem nomine ab autore sunt inscripti. Singula-  
ris apud Liuium sunt, *abolere alicui magistratum*, pro abrogare. L. III,  
*multimodus*, pro, multiplex et uariis, XXI, 8, *multimoda arte unani-  
mus. unanimitas*. *Peregere*, apud Ciceronem, est, in loco esse,  
apud Liuium, etiam morum ad rem significat, qui nunc de quiete,  
nunc de motu ad locum peregrinum, pronuntiat, quod etiam, inter  
sequiores, Plinius imitatur. *Ingens magnitudo*, mihi mendosum est,  
XXXIII, 58, et legendum mihi uideretur, *ingentia*. Varia de Liuiio e-  
logia prodierunt, quae ab initio editionis Gronouianae legi possunt,  
De Patauinitate uid. Salmastus, post eum Morhofius. Eius in Gal-  
los odium notarunt Galli, immerito tamen, quem popularis, Scarde-  
onius, defendit. Supplementa Liuiana Freinfhemii uariam erudicio-  
nem auctoris probarunt, aliquot tamen formulae non Latinae, non  
opinanti, exciderunt. Vita Liuii exiit apud I. P. Tomasinum, et apud  
Scardeonium, qui proxime recusus est Amstel., 1676, primum prodit,  
1630. Editio Francof. prior, 1568, est cum omnibus notis Henr. Gla-  
reani, C. Sigonii, L. Vallae, Io. Vellecurionis, Theodorici Morelli, M.  
A. Sabellicae, B. Rhenani, Sigism. Gelenii, Io. Saxonis, Guillonii, Go-  
dolouaci, quae post Sigonianas optimae sunt. Francof., 1568, Fr. Modii,  
Moguntiae, ex MS., in ecclesia cathedrali repetito, expressa, 1518, Ven-  
netia, cum notis Sigonii, 1572, Basil., cum Chronol. Liuiana H. Gla-  
reani, 1539, f., Paris., 1573, Sangeruasiana, cum notis Sigonii et De-  
brii, 1606, Ald., 1519, 8, Douliatiana, in usum Delphini, Paris., 1629,  
8, 81, 4, V. Tomis., 111 uoll., cum supplementis Io. Freinfhemii,  
quae suppleuit Douiatius, Gruteriana, Franc., 1668, ubi notae sunt  
additae Franc. Modii, Fuluii Ursini, Marcelli Donati, quibus multa ex  
aliis admixta sunt, Iani Gruteri, 1625, f., Francof., 1613, 111 uoll.,  
eiusd., 1634, 1619, 8, emendata, Franc. ad M., 1628, f., Fr. Modii et  
Gruteri, 1628, f., Heidelb., 1622, 8, optima, Francof., 1659, 8, Grono-  
uiana prior, 1665, 8, posterior, 1670, melior, cura Iac. Gronouii, Ex-  
tat Liuius cum Codice Palatino per omnia collatus, in f., III uoll. MSS.  
apud me, ex Biblioth. Heinfiana.

CELL. T. Liuius uixit sub Augusto Caesare, unde, inter optimos referri,  
meretur. Plures libros scripsit, sed nec tertiam partem iam posside-  
mus. Fuit quidem non multis ab hinc seculis superstes, sed infelici,  
proh dolor, fato dilaceratus, ut nulla fere spes eum de nouo recuperan-  
di nobis sit relicta. Habeat suas laudes Cicero, habeat Sallustius, habeat  
Cornelius, Liuius peculiarem meretur, propterea, quod stylus  
ubique est lacteus et mihi suauis. Conf. Dissertat. ipsius, p. 207,  
sq., 477, sq.

Edidit Liuium Gruterus, sed nihil commentariorum adiecit. Gronouii  
autem editio, 111 Tomis, in 8 mai., absoluitur, et notas criticas atque  
historicas C. Sigonii, Itali, et Prof. Bononiensis, suis adiecit.



XV *M. Vitruuius Pollio*, ex mente Scioppii et Lipsii, architectus melior aedificiorum, quam styli Latini, quippe qui talis est, ut, scriptorem hunc Augusti, Imperatoris, aevo floruisse, cognoscere uix possis, in eo tamen excusandus, quod argumentum, de quo scripsit, Latini sermonis ornamenta respicere uideatur. Alioquin Hieron. Cardanus, mathematicus, philosophus et medicus Mediolanensis, acuratissimus, hunc architectonicos ueterem magistrum, inter praestantissimos totius antiquitatis uiros, quorum ille duodecim numerat, referre non dubitauit. Vid. Morhofius, d. l., p. 164, sqq., Boeclerus, d. l., p. 576, sq., Fabricius, d. l., uol. I, p. 287, sqq., uol. II, p. 391, sqq.; Pope-Blount, d. l., p. 55, sq., VValchius, d. l., p. 57.

Opus Vitruuii Florentinis debemus, quorum in urbe editio omnium prima exiit, 1496, f., ut uult Cl. Fabricius, d. l., p. 289, uerum aliquot iam ante annis prodierat ibidem, in 4, quam editionem ipse uidi. Nouissima eademque instructissima est Io. de Laet; Amstel., 1649, f.

XVI *P. Virgilius Maro* non heroicorum, sed omnium omnino poetarum Romanorum, sine controuersia, princeps, iudicio certe artificisque Graecis pariter, ac Latinis, superior, ne Homero quidem excepto, quippe quem in Aeneide, Hesiodum, in Georgicis, Theocritum, in Bucolicis, tanta est solertia imitatus, ut iis palmam dubiam fecisse uideatur. Plura, hanc in sententiam, eaque minime perulgata, Scaliger, pater, attulit, in opere diuino Poeticis, ubi etiam Maroni, tanquam homini, humanae conditionis metas supergresso, nec aliter, atque poetarum deo, posuit aram. Conf. Adamus Theod. Siberus, orator olim et poeta Academiae huius non e uulgo, in elogio Virgiliano. Vid. Crinitus, d. l., III, 37, Richterius, d. l., p. 203, sqq., Gyraldus, d. l., p. 203, sqq., 214, 612, 631, Vossius, de P. L., p. 15, Scaliger, Poet. V, 3, sqq., Fabricius, d. l., uol. I, p. 201, sqq., uol. II, p. 225, sqq., Morhofius, d. l., p. 155, sqq., Funceius, d. l., P. I, p. 201, sqq., Boeclerus, d. l., p. 121, sqq., VValchius, d. l., p. 629, sqq.

E

Ex

Ex edd. luculenta admodum est illa, quam, in usum Delphini, adornavit Carolus Ruæus, Gallus et S. I., aliquoties recusa, Paris., 1675, 4, Lond., 1686, et 1707, 8, sed elegantissime in Batavis, Amstel., 1690, 1692, Venet., 1713, 4. Praemittitur Virgilii uita, incerto autore, quam aliqui Donatum credunt, et ipsius editoris Historia Virgilii, per Consules descripta, accedunt interpretatio, paraphrasis, notae et index luculentus, cum qua conferri meretur edit. Nicol. Heinsii, Amstel., 1676, 12 min., qua nihil tersius fingi potest.

SCHVRZFL. Omnes Epicos industria, gravitate et iudicio, uicit Virgilius poetarum princeps Latinorum, qui Graecis omnibus palmam fecit dubiam, et triplici uinctae orationis genere usus est, tenui, in Bucolicis, mediocri, in Georgicis, ampliori et grandi, in Aeneade, quamquam et tenuè demissumque genus insigni gravitate temperauit, et in Bucolicis plus eo, modo affectus est, quam apud Graecos Theocritus. Imitatur enim poeta rusticos, et decorum, quod personae cuique seruit et aptum est, accurate tuetur. Exempla praebent Alexis, Palemon, Daphnis. Sed, cum Pollionis gratulatur de nato filio, argumenta et similitudines altius petendas, iudicauit, in Ecl. IIII, Pollionis nomine inscripta. In Georgicis Hesiodum, qui, de agrorum cultu, poema condidit, imitatus est. Sed, more ueterum, illam partem, quae ad hortos pertinet, omisit, quae suppleri potest ex Columellae X. In Aeneade expressit et aequauit Homerum, antiquissimum poetam, et proximum a Mose scriptorem, ubi initium Aeneidos fere a uulgari et proletario est distinguendum, quod grauitati Virgilianae non conuenit, quod ueteres agnouerunt. In eum commentati sunt Seruius Probus et Donatus, antiqui Grammatici, doctrina et ingenio praestantes uiri.

Edd. Rob. Stephani, 1532, Venet., 1534, ed. antiqua et elegans, ex recens. Aldi, et 1574, cum ueteribus et recentioribus comment. et notis, quae inter optimas etiam censetur, 1540, 4, Venet., 1574, Germ. Valentii Guelli, Antu., 1575, f., ed. sane elegantissima, qua usus est Greg. Bersmannus, P. Gabiae uariae lectiones in Virgilio, Brixiae, 1565, 8, liber perrarus, Basil., 1586, cum notis uariorum, Paris., 1600, ex recens. P. Danielis, Icti pereruditi, cum Seruii commentario, quae est edit. opt., et Colon. Allobr., 1610, quae est elegans, Basil., 1613, Venet., 1628, I. L. Cerdae, Lut. Paris., typis regijs, 1645, et 44, 8; cum notis Farnabii, Amstel., 1650, 12, C. Schreuelii, Lugd. B., 1666, 8 mai., Heinsiana, Amstel., 1676, 12, ubi textus est emendatissimus, cum notis Minclii, 1683, 1697, propter sensum, non ad subtilitatem criticam, commendanda. Albericus Gentilis uarias lectiones Virgilii, Hanou., 1603, 8. Adria-

Adrianus, Imperator, inepto iudicio praetulit Virgilio Ennium, quem hic legit et saepe imitatus est. Vid. Ael. Spartianus, in Adriano. Nullius ingenii doctrinaeque poetam appellavit Caligula. Vid. in eo Tranquillus, c. 32. Sequiori aevo, homines Lucanum ipsi praetulērunt, ut Barthius obseruauit, in notis ad Britonem. Simius eius fuit Claudianus, de quo uid. Scaliger. Augustinus memorat, Conf. L. XIII, doctos Grammaticos cum pueris edicendum proposuisse. Latini enim, Virgilium primo in scholis suis legendum exponendumque, censuerunt. Hieronymus nimiam prope hanc diligentiam studiumque legendi Virgilium reprehendit, cum affirmat, sacerdotes, emissis Euangelis et Prophetis, Comoedias legere, amatoria Baculicorum uersuum uerba canere, tenere Virgilium, et id, quod in puero necessitas, est crimen in se facere uoluptatis. Vid. in Expositione parabolae Euang., de filio prodigo et frugi. Huc spectat Basilus M., in Paraenico ad nepotes, c. 5, ubi suadet, adhibendam esse mentem, ut tales ipsi simus, quales illi fuerunt, id est, oratores et poetae ueteres. Ceterum Virgilius, patria Mantuanus, a Virgilio Romano diuersus est, ille Epico-carmine, hic in Iambis, famam sibi comparauit, Virgilii epitaphium legitur apud Capacium.

SISTE VIATOR  
 QVAESO PAUCA LEGITO  
 HIC MARO SITVS EST

In radice Paustlypi montis sacellum, quod Virgili sepulchrum est, in agro Neapolitano, licet uidere. Hoc tegit et inumbat annosa laurus, semper uuentis famae signum, Archaismi eius, Graecismi, et quaedam poeticae licentiae exempla, attendi potius, quam imitando reddi, debent. Pleraque enim ex Ennio et Lucretio traxit, quae nobis adhibere minus conuenit, quam principi poetarum. Pleonasmus saepe ipsi tribuuntur, qui non sunt, sed significationem intendunt magis et augent. Enallage et Heterosis distinguendae, quarum aliquae tales sunt, ut quoque a profanis usurpentur. Traiectiones et *συρξυσεις* profus uitari debent. Nec epitheta Virgilii, etiam insigniora, ad pro-  
 fam continuo transferendae sunt, quippe aspera nimis et dura, tantoque studiosius cauenda.

Culex Virgilii, eiusdemque Ciris non praefertur Virgiliani carminis maiestatem, neq., quod ab eo profecta non sint, sed, quia argumenti dignitati non respondent. Hoc pemonon Seruius quoque et Donatus Virgilio uenditant. In utrumque commentatus est Taubmannus; in Culecem etiam Barthius. Virgilii Appendix edita est cum Iosephi Scaligeri castigationibus et commentariis, curante Frider. Lindenbrogio, cuius notae sunt additae Lugd. B., 1595, 8. Elogia Virgilii, apud Suetonium; Fabium, itemque ueteres Grammaticos, cum quibus conf. Horatius, Carm. L. III, Od. 12. Tum apud Scaligerum, qui passim

poetarum Imperatorem uocat, Poet. L. II, c. 15, Nicod. Frischlinus, cuius extat Oratio, de Praeferentia et diuinitate Virgilii, 1574, Tubingae, habita. Huc spectant Melanchthonis, Camerarii, Vossii, et aliorum magni nominis uirorum, praefationes, quibus Virgilius omnibus, quotquot floruerunt, poetis Latinis praefertur, quod eo magis intelligere licet, si cum Virgilio Lucanus, Statius et Claudianus, conferantur.

CELL. Virgilius uixit, tempore Augusti, Caesaris, in cuius honorem etiam scripsit libros Aeneidos, nec minus Bucolica et Georgica, ad quos intelligendos sublimis iudicium requiritur. Vnde, iudice Boeclero, sine magna utilitate in scholis explicatur. Manet interea huius uari principatus, et, quod apud Graecos est Homerus, id apud Latinos sit Virgilius. Illustrauit eum iam olim scholii Seruius Maurus, Donatus item, et patrum memoria, Taubmannus, Carolus etiam Ruacuus, S. L., in usum Delphini. Optima tamen et nunquam laudanda est editio Batavae lac, Emmenensis, cum notis uariorum, 1680, 8., quae editio abfoluitur III Tomis, in 8. Conf. Diss. p. 688, sqq.

XVII Q. *Horatius Flaccus*, ut in Epicis Virgilius, sic Horatius in Lyricis, principem tenet locum, Romanorum certe Pindarus, quem etiam imitari studuit, praeterque hunc Alcaeum quoque, Anacreontem, aliosque non nullos Graecorum uates. Structurae in ipso difficiliore sunt, ac prorsus eiusmodi, ut, nisi ab homine Graece docto, explicari interdum uix possint. Alioquin excellit in genere doctrinae morum, Stoicae nimirum philosophiae haud ignarus, eaque de causa doctissimis quibusque uiris semper in pretio habitus, ex quibus non possum non commemorare Lazarum Bonamicum, Italum, Georg. Buchananum, Scotorum in poesi Horatium, Georg. Fabricium, de Horatio pariter, ac iuuentute literata, longe meritissimum, quin et Mich. VValtherum et Schurzfleischium, polyhistorum, qui quidem duos posteriores Horatium prope integrum memoria tenebant. Vid. Quintilianus, Inst. Or. X, 1, Io. Masson, in Vita, edit. Amstel., 1708, 8.; Crinitus, d. l., III, 38; Gyraldus, d. l., p. 496, Richterius, d. l., p. 228, sqq.; Boeclerus, d. l., p. 138, Morhofius, d. l., p. 159, sqq.; Fabricius, d. l., p. 233, sqq., uol. II, p. 310, sqq., Vossius, d. l., p. 28, sq., VValchius, p. 53, sq., 631, sqq.; Funccius d. l., p. 239, sqq.

Ex. edd. ad Bibliothecarum splendorem comparata est Paris.

IIIa

Alia regia, 1642, f., quae tamen ipsa cum rarior sit ac sume  
ptuosior, eius loco Horatianae lectionis cupido iure merito  
etque commendanda uenit editio Lips., 1675, T. II, 8, praec-  
ter Minellii notas aureum bonaeque frugis plenum Frider.  
Rappolti, poetae primum, postea theol. Lips. primarii, et  
Ioach. Felleri, genero ipsius, auctum, exhibens commen-  
tarium, Lips., 1675, Tomis II, 8.

SCHVRZFL. Horatius, Lyricorum poetarum princeps, ex Graecis Pin-  
darum, suauem et grauem, ex Latinis Lucilium, imitatus est, quem, ui-  
eto Bruto, cui aduersus Augustum militauerat, Maecenas serauit, et  
inter amicos habuit, ut ex uita Horatii constat. Ab Augusto deinde  
ad scribendas epistolas accessit, oblatum recusauit manus, et liberale  
otium praetulit, ac scribendis legendisque carminibus operam dedit.  
Vid. Suetonius, in libro, de Poetis, Ianus Ruigerius, in notis ad ui-  
tam Horatii, Isaacus Casaubonus.

Lyrica Horatii tersa et iucunda sunt, adeo, ut, iudice Fabio, X, 1, unus  
ille dignus sit, qui inter Lyricos fere solus legatur. In Satyris  
etiam, munditiae dictionis uincit Lucilium, et sermoni propior est, at-  
que in eo Lucilium imitari uoluit, qui prosam numeris astrinxit, sed,  
quod iste inchoauit, hic, raro imitationis exemplo, perfecit, et modum  
artificiumque Satyrae nauiter expressit. In his urbane dicax est, et  
cum reprehensionis libertate coniunctam uerborum licentiam ostendit.  
In Odis grauitatem canora modulataque oratione temperat. In Satyris  
asperitatem humilli ac demisso dictionis genere, imitatur. Ibi amoenus,  
suauis et iucundus, hic seuerus, falsus et mordax, est, ibi sublimis, hic totus  
pedestris est sermo, et non ultra orationem prosam assurgit. Vid. Isaacus  
Casaubonus, de Satyrica Graec. Poesi et Rom. Satyra, Paris, 1605,  
8, et Dan. Heinsius, de Satyra Horatii, 1629, 8.  
Optima Horatii est editio, commentarioque illustrata a L. Torrentio,  
Antwerp, ex offic. Plantin., 1608, 4. Secundum hanc laudatur atque  
in pretio est Iac. Cruqui, cum ueteri Scholiaste, Acronè, et illius quo-  
que commentariis, editionis Plantinianae, 1578, et 1611, 4.<sup>a</sup> Iacobi  
Doula, qui diligentem cum Horatii interpretem uocat. In Torrentio  
Ruigerius non eruditionem desiderat, sed candorem, fuit praeuis affec-  
tibus, ut olim Politianus. Antiquissima editio est Veneta, 1492, f.,  
cum Acronè, Scholiaste, eadem Acronis scholia Basil. prodierunt, 1527,  
8. Non praetercunda est editio Petri Gualteri Chabotii, Basil., 1594, et  
1615, f. Huc spectat editio Bernardini Parthenii, Spilimbergii, Venet.,  
1584, 4. Dan. Heinsii, Georg. Besmanni, 1602, Lips., 8. Lugd. B.,  
1612, 8, tum ex offic. R. Stephani, 1613, 12, cum notis Iani Ruigerii,  
Io. Boodii, Amstel., 1643, 12, et alibi, Lambini, cum notis Turnebii  
et Theod. Marcelli, Paris., 1605, f.

In Horatii *Artem poeticam* scripsit Aldus Manutius Venet., 1566, 4; Hercules Manzonius, Bergomi, 1604, 4, in *Epistolas*, Claudius Minos, Paris, 1584, 4, ex recens. Muræti edit. Aldin., 1577, et ibid., 1570. Prima eius editio Aldina prodit, 1525, et 38, Basil, 1527, 8. Vtraque hæc editio est rara, cum libro, de Merris Horatianis. Index Horatianus Thomæ Treterii editus est Antwerp, 1576, 8, et Francof., 1600, 8, cum Horatio ipso.

Horatius multa nauiter docet, ueterisque ritus aperit, pleraque ex uulgi opinione refert et apte componit, ac nihilo minus humi repit, id est, ad profanæ orationem accedit, ut Horatium ex Horatio interpretamur. L. I, Od. 4, errorem uulgi refert, cuiusque profanam sententiam adducit, ut,

*Fabulaeque manes.*

*Vitæ summa brevis spem nos uetat inchoare longam,*  
etiam ibidem motem sortiendi magisteria cœnuuio-um describit,

*Nec regna tui sortiére talis,*

L. I Carm., Od. 12, ex eadem opinione uulgi tribuit, quosum spectat L. I, Od 34,

*Namque Diespiter*

*Igni corrusco nubila diuidens,*

Eodem modo loquitur cum uulgo, Carm. L. II, Od. 3, et homines forte mori, affirmat. et orditur ab urna, quippe ex qua sortes duci solebant. Sic etiam Cicero ait, *cum prima fors exisset*. Christiani Imperatores, Honorius et Zeno, hanc loquendi rationem imitati sunt, et nominarunt *naturalem sortem, fatales nem sortes*. De sono, arte facte, quo potatores, uno in terram effuso, delectabantur, L. II, Od. 14.

*Et mero*

*Tinget pauimentum superbum.*

Fortunam geniumque Caecæis indicat, multumque confirmat, Carm. III, 14,

*Et tuos præbente diuos, cetera.*

Munus præconis designat, qui facinorosis, cum uirgis caederentur, causam poenæ exposebat, Epod. Od. III. u. 14,

*Præconis ad fastidium.*

L. I, Sat. 6, u. 120, de statua Marlyæ; in celeberrima fori Romani parte quadam extructa, quam non obire uocat. lites et molesta iudicia declinare. Ad Marlyæ enim statuam uocabantur in iudicium. De morte cœnandi, L. II, Sat. 4 et 8. Sed obscena eius uitanda sunt, in primis Epod. Od. 8. obscenissima, cum qua conf. Parthenius ad Catalogum, Epigr. 43, et Lindenborgius ad Priapeia. Aristotelem legit, et in Satyricis maiorem in rebus, quam in uerbis, curam posuit. Vid. Frid. Modius, in *Horatii Artem Poet.*, p. 360.

CELL. Horatius est princeps in genere Lyrico, sicut Virgilius in Heroico, Qui-

Ovidius in Elegiaco. Et, licet difficiles sint Odae, breues tamen sunt, et in qualibet de nouo argumento agitur, unde uix tedium nascitur, quaedam etiam parum pudicae sunt. Libri, quos genere Hexametro scripsit, parum amoenitatis habent. In hoc autem non erat exercitatus. Conf. Diss. p. 690.

Edd. optimae sunt, quae habent ueterem interpretem, qui Acro uulgo dicitur. Cruquius in sua edit. etiam habet commentarium Aconis. Commendandus etiam Leu. Torrentinus, Episc. Ruremundanus, qui Suetonium edidit.

XIIX *G. Valerius Catullus* primum omnium poetarum Romanorum cultius aliquid poetari conatus, aetate non Tibullo solum et Propertio superior, sed etiam ipso Marone, ob argumenti similitudinem Tibullo et Propertio, in plerisque editionibus, praefigi solitus, unde et triumuiui audiuntur. Dictione, pauca si excipias, est peruenusta, sed, ob res amatorias, in quibus pleraeque eius carmina occupantur, haud raro lasciuente, aut, si mauis, Catulliente. Poemation eius, de Coma Berenices, ceteris fere omnibus elegantia praestat. Callimachi, ut alibi, sic in hoc etiam idyllio, imitator solers et felix, unde et Romanorum Callimachus appellatur. Vid. Crinitus, d. l., II, 27, Gyraldus, d. l., p. 507, sqq., G. I. Vossius, de P. L., 14, 17, Fabricius, d. l., uol. I, p. 50, sqq., uol. II, p. 67, sq., Boeclerus, d. l., p. 141, Morhofius, d. l., p. 152, sqq., Funccius, d. l., p. 174, sqq., Scalliger, Poet. VI, 7, Stollus, d. l., p. 288, sq., Pope-Blount, d. l., p. 49, sq., Ol. Borrichius, de Poetis, p. 49.

SCHVYZEL. Catullus, urbanus ac saepe lasciuus, et Ouidio etiam antiquior, atque a Virgilio proximus, cuius uita extat apud Suetonium, Lyl. Gyraldum, d. l., p. 507, sq., et P. Crinitum, d. l., II. Veronenfis, a patria, dicitur, perinde ac Horatius, Venusinus. Alii cum Lyricis, alii Iambicis, poetis annumerant, ut ex Fabio et Diomede constat, quamquam utriusque generis carmina, et elegiaca quoque, scripsit. Gellius, VI, 16, et VII, 20, eum, com, ob elegantiam, tum a uetustate, commendauit. Si turpia omisisset et obscena, natiuam carminis gratiam et uenerem quandam prae omnibus successibus, sibi uindicasset, qua profecto Martialem et alios superauit.

Edd. Aldina Venet., 1502, 1515, 1574. 1588, 8, Paris, 1577, et, quae omnium luculentissima est, 1604, f., Commelin., cum Iscl. Iusti Scaligeri annotat., 1600, 8, Hanou., 1618, 8, Lugd., 1684, If, Vossii, qua

offen-

offendit Bataus; ob quasdam notas obscenas magis, quam utiles; in primis eo loco, quo uim et significationem uerbi *περὶ μωροῦ* explicat ac declarat, p. 98, carmine ad Ravidium, Interpretes et commentatores Catulli laudantur, Anton. Parthenius, Palladius Fulcus, Phil. Beroaldus, Bernardinus Cyllaenius, Hieron. Auantius, Constantin. Laudus, Franc. Robortellus, Achilles Starius, Io. Annus, M. A. Muretus, I. I. Scaliger, I. Lipsius, Doufa, pater et filius, H. Stephanus, Frid. Morcellus, uir summus, praesertim in Graecis, Q. Sept. Florens Christianus, Theod. Marcellus, H. Vossius.

Apud Catullum *lex Posthumia magistra*, in carm. 27, occurrit, quae lex coniuualis fuit, compotatoribus lata, hac condicione, ut grandia pocula exhaurirent. Erat enim bibax et uinosa haec femina. Vid. Parthenius, Fulcus, Muretus, Scaliger, Lipsius, ad h. l.

XIX *Albius Tibullus* et *Sextus Aurelius Propertius*, par nobile poetarum amatoriorum, adeoque, uel argumenti gratia, haud temere diuellendum, prout in plerisque etiam editionibus coniungi solent, praemisso tamen, quod aetatem, qua utrumque praecessit, Catullo. Ex his Propertius carmine Elegiaco adeo excellit, ut *Romanorum Callimachus*, nec sine merito suo, iam olim sit appellatus. Popularis fuit Plauti, ex Umbria oriundus, Tibullo aetate quidem paulo inferior, ingenio tamen par, eruditionis quoque copia superior, in quo plerique contentiunt idonei poetarum existimatores. Vid. Crinitus, d. l., III, 40, Gyraldus, d. l., p. 222, sq., Fabricius, d. l., uol. I, p. 256, sqq., uoll. II, p. 349, sqq., Funccius, d. l., p. 186, sqq., VValchius, d. l., p. 55, sq., Stollus, d. l., p. 280, sq.

Ex editionibus Tibulli, seorsim editis, praestantissima est Brouchusiana, a uiro quippe non poetas solum, uerum etiam criticae, longe peritissimo profecta, Amstel., 1707, 4. Propertium iam ante Tibullianam editionem edidit Brouchusius idem, *ibid.*, 1702, 4. Vtrumque ut edidit, sic etiam feliciter imitatus est, idem ille uir, et poeta Bataus longe uenustissimus, id quod poemata ipsius, quae publice extant, corprobant haud obscure et confirmant.

SCHWZEL. Tibullus, poeta cultissimus, patria Romanus, ingenio facili et prompto praeditus, sed in amores procliuior, eamque ob causam *Duidio* carior, iuuenili adhuc et immatura aetate, decessit. Candidus cecle-



celebratur et elegans, quale eius ingenium in LL. Elegiarum cernitur, sed nec antiquitatis et rituum fuit ignarus, quibus carmina amorum ornauit saepe ac distinxit. Fuit initio ditissimus, factus autem est pauperimus. Vid. uita eius apud P. Crinitum, d. l., III. Edd. fere caedem, quae Catulli, ut Commeliniana, 1600, 8., Paris, 1604, f., Hanou., 1618, 8.

Capita antiquitatis, de ueterum ianuis, de Veneris focum obsidentibus, de uerbis bene ominatis, de Apolline, futurorum praesago, de urbe aeterna, de litera pacta, aliisque rebus obseruatu dignis. Quorum uid. Iani Doufac Praecedanea, pro A. Tibullo, Antwerp., 1581, 12, qualia etiam edidit, pro Val. Catullo, dignamque antiquitate operam nauauit.

**SCHVRZEL**, Propertius. Meuanensis Umber, Maecenatae patrono usus est, et Ouidium Tibullumque amicos habuit. Poeta suauis et elegans, qui a Plinio iuniore, Ouidio, Martiali, commendatus est, cuius quoque memmerunt Apuleius et Sidonius. Vitam eius composuerunt P. Crinitus, d. l., III, 43, L. Gyraldus, d. l., p. 222, sq, atque in elogiis scribendis dulcedinem merito celebrarunt. Dicitur *Rom. Callimachus*, ut ipse se nominat, elogio satis conueniente, quanquam alter magis pudicus, alter magis lasciuus, erat.

Edd. sunt, Lugd., 1573, 12, Vilelmi Canteri, Antu., 1582, 12, Commelin. Heidelb., 1600, 8, Lugd. G., 1603, Paris, cum notis uar., 1604, f., Ioannis Passeratii, ib., 1608, 4., Hanou., 1618.

Propertius, corrupto acuo, perinde ac poetae alii, lasciuus nimis et adulationi deditus fuit. Lipsius quoque existimat, eum lasciuie in laudes sui patris, hoc est, laudando et adulando esse nimium. Ergo eius uitia euitanda sunt, et ratio carminis Elegiaci, per se elegans, imitanda est. Eleg. III est descriptio triumphi. Vid. Onuphr. Panuinus, de Triumphis Roman.

**CELL**, Catullus, Tibullus, Propertius, plerunque conjunctim excuduntur. Scaliger ad singulos commentatus est, it. Muretus et Graevius. In usum Delphini edidit Philippus Syluius, in qua editione notae sitis accuratae continentur. H. Vossius Catullum sigillatim edidit, qui hos tres triumuiros amorum uocat, unde non nisi excerpta iuuentuti legenda tradantur.

**XX. Publius Ouidius Naso.** Ut heroici carminis princeps est Virgilius, Lyricae uero poeseos Horatius, sic Elegiaci generis primas tenet Ouidius, facili manans uena, uix ut ulum haec in laude parem, nedum superiorem, habere uideatur. Ne ingenio quidem ulli temere cedit, iudicio tamen artificioque, doctrinae item apparatu, haud paulo inferior est Marone, ipsoque etiam Horatio, in libris tamen Faistorum recon-

reconditae cuiusdam eruditionis femina passim sparsit, ut dolendum sit omnino, partem operis perfectissimi inter Ovidiana utilissimique, temporum iniuria, perisse. Metamorphosi eius mature legat ille, qui notitiam sibi comparare uolet fabularum, poetis usitatarum, quippe quas, uno uelut fasce, complexus est dulcissimus uatum. Ceteris Ouidii poematibus praestant Heroides ipsius, ex quibus non pauca in Germanicas suas eiusdem argumenti epistolas, dolo tamen bono et ingenii pleno, transtulit Germanicae poeseos quidam quasi Ouidius, Christianus ab Hofmannsuwaldau, Vratislauenfium Praefes. Poemata plus satis nota sunt, saepiusque iam recusa, in 8. Vid. Crinitus, d. l., III, 46, Gyraldus, p. 224, fqq., Vossius, d. l., p. 29, fqq., Reinhardus, d. l., p. 100, fqq., Fabricius, uol. I, p. 260, fqq., uol. II, p. 260, fqq., Boederus, d. l., p. 124, fqq., Vossius, d. l., p. 29, fqq., Funccius, d. l., p. 251, fqq., Morhofius, d. l., p. 172, fqq., VValchius, d. l., p. 626, fqq.,

Ex edd. Ouidianis, si contextum spectes, solum haud dubie optima, maximeque castigata Nic. Heinssii. Typi quidem exilioses sunt, nec nisi lyncæis forte oculis opportuni Burch. uero Cnippingii editio Lugd. B., 1670, 8. III uol., cum Heinssianam bona fide sequatur, luculentioribus quoque literis se commendat, ipsi Heinssianae praeferi meretur. Ex Cnippingianis quidem emendatissima accuratissimaque est altera, quam Blavianis operis debemus, Amstel., 1683, Tomis totidem. C. Schreuelii, Lugd. B., 1661, 8, editio quidem nitida, sed notis non usque quaque selectis, instructa, ut pleraeque huius uiri edd.

SCHVRZEL, Ouidius Naso, patria Salmonensis, poeta ingeniosus et elegans, simplex, suavis et numerorum aequalitate sibi constans, et inter elegiacos, si naturae uim expendimus, princeps, cuius uitam describit Aldus Manutius et Hercules Ciofanius. Eius meminit Quintilianus, Inst. Or. III, 1, et, ante hunc, Velleius, Histor. II, 6, quem et Tibullum perfectissimos in forma operis sui uocat. Conf. Dialogus, de Oratore, et Martialis, XIII, 192. Ab ineunte aetate literis se tradidit, artemque poeticam excoluit, sed, iussu patris, iuri operam dedit, cuius deinde pertractus, ad literarum studia se retulit. Sed, postquam libros,

libros, de Arte amandi, composuit, et aliquid, per errorem, uidit, Au-  
gustum grauitur offendit ac, Tomos, id est, ad Tomitas Scythas, rele-  
garus est. Vid. Paulus Marfus, in Vita eius, et ipse in LL. Tristium,  
et de Ponto. Sed, errorem hunc definire nemo potest: quia ipse reti-  
cuit, ut superuacuum sit, inquirere, quod ipse aperire noluit, prudens  
cui, ut superuacuum sit, inquirere, quod ipse aperire noluit, prudens  
Tres uxores habuit, quarum duas priores repudiavit, cum postrema  
coniunctissime uixit. Inter amicos habuit C. Iulium Hyginum, Augusti  
libertum, qui Romae Biblioth. Palatinam curabat. Quem postea odit,  
et, ut docti coniecerant, Ibis nomine pestifrixit, quod relegati amici  
opibus inhiaret. Vid. Dionysius Saluagnus, c. 8. Prolegom. in Ibis.  
Vfus est calamo argenteo, apud Fannonas reperto, et Taurini aliquan-  
diu custodito, ut memorat in Vita Ouidii Herc. Ciofanus, et ex eo re-  
perit Caelius Calcagninus. Tiberio imperante, apud Getas obit, et  
iuxta Getarum oppidum, Tomos, in Bulgariae ora maritima, qua Pon-  
tum Euxinum spectat, sepultus est. Getas, huius loci incolae, ues-  
tuo tinctis, pugnaſſe, oculus testis affirmat: Ouidius, de Ponto l. et III.  
Edd. Ouidii. Antiquissima, Bonon., 1420, f. Basil., Heruagiana, 1550,  
f., Francof. 1601, Farnabiana, [Paris], 1637, f., quae Metamorphosin,  
cum notis exhibet, deinde, in forma minori, prodit, typis Blauianis,  
Amstel., 1650. Eadem ex edit. lac. Pontani, 1618, f., et LL. Tristi-  
um et de Ponto, 160, f., Herc. Ciofani Obseruationes in Ouidium, 17  
83, edit. Plantina, 8, eiusd. in Epistolas Heroïdum, 1582, haec est omni-  
um exquisitissima. In Ibis. Dion. Saluagnii, Lugd. G., 1661, ex re-  
cent. Bersmanni. Eiusdem Ouidii Metamorphosis, cum argum. La-  
tenti Placidi. Nouis edit. Hakiana, Lugd. B., 1670, 111 uol. 8, cum  
notis Nicol. Heinsii, Amstel., 1661.  
In Ouidio multa sunt rituum singularia, praesertim in LL. Fastorum,  
ubi agit de antiquis Rom. Pontificibus, de more antiquissimo libris pla-  
candi deos, de sulphuris usu in lustrationibus, Fast. III, de precanti-  
bus, manu aram tangentibus, de ueneratione lucorum, qui incaedui,  
Vid. Amor, III, Eleg. 1, u. 1. Nam in hac *καταιοτεχνα* multa,  
etiã serua uiliterque dicta, insunt. De ludis Circensibus, ibi, Eleg.  
6, de iudicio loci dignioris, Metamorph. III. In Metamorphosi Oui-  
dii initium mundi descripsit, et fabulis multa ingeniose prudenterque  
detexit. Principium operis a cultu numinis recte auspiciatus est, quip-  
pe quod et caesum Epico congruit, ut scite affirmat Vossius, pater, In-  
stit. Poet. III. Scythiam, in quam relegatus est, ignotum orbem no-  
minat, Trist. III, Eleg. 3, u. 3, ideo, quod pauci eo ueniebant, nec  
terra, sed mari, periculosa navigatione, eo proficiscebantur. Sic prima  
Romaeorum aetate, rudem ac simplicem Romae cultum describit, L.  
III, de Arte amandi Eleg. u. 16, 117, et 303, ibi describit uetulam, uo-  
cat

eat uaricam, de quo loco ualde disputant eruditi. Mea sententia est, Poetam hic innuere grauem gressum mulieris, quae, more tumido, incederet. Vid. Casaubonus, ad Theophrasti Characteres, p. 54.

CELL. De Ouidio notandum, quod parum castus sit, unde a manibus iuuentutis remouendus, praesertim Libri amorum et de Arte Amandi, Libri Metamorphoseon, seu transformationum, etiam non nunquam haud satis casti sunt. Faistorum itaque libri, Tristium, et de Ponto, optimi sunt. Vid. Diss. p. 690.

Edd. Heinssianae praeceteris commendandae sunt, tam patris, quam filii. Nuper in usum Delphini a Dan. Crispino, qui Sallustium quoque in eiusdem usum edidit, prodiit.

XXI *M. Manilius*, poeta idem et astronomus, sub Augusto, Imperatore, ad quem etiam poema suum Astronomicum, insignite doctumque, perscripsit, cuius tamen libri posteriores intercidisse creduntur. Vid. Vossius, d. l., p. 36, idem, de Arte Grammatica, II, 26, Borrichius, de Variis L. L. Actatibus, c. 3, Morhofius, d. l., p. 267, sqq., Boeclerus, d. l., p. 134, Ol. Borrichius, de Poetis Lat., Diss. I, p. 54, sqq., Fabricius, uol. I, p. 292, sqq., uol. II, p. 409, sqq., Funccius, d. l., p. 289, sqq.

Eximia Manilii editio est Boecleriana, Argent., 1655, 4. Splendidior omnibus est editio Paris., 1679, 4.

SCHVRFEL. Manilius, Augusti aevi poeta, Astronomicum, quinque libris comprehensum, Octauiano Augusto, Imperatori, dedicauit, ab eoque scribendi auspiciis sumpsit. Romae scripsit, sed, ubi natus fuerit, ignoratur. Neque id ex eius opere colligi potest ullo uerisimili argumento. Graecos diligenter secutus est, quos in scientia astrorum principes esse, cognorat, sed stylo, pro conditione argumenti, temperato, id est, non ornato nimisque culto. Hinc Gyraldi iudicium fere iniquum uideri potest, qui, inquinatè Manilium scripsisse, affirmat. Nam astronomi poeta fuit, etsi in poeti magis, quam in astronomia, uersatus est, neminemque ante se habuit, quem imitaretur. Tanto magis ei ignoscendum est, quod Graecorum monumenta primis Latinis uersibus expressit, Vid. L. I. Scaliger, in Prolegom. Et sane uitam spiritumque dedit hic poetae, etsi in Scaligero, uiri summi, rerumque coelestium peritissimi. Dion. Petauus et Ismael Bollialdus notant pleraque et reprehendunt.

Edd. Venera, apud Aldum, 1499, f., Basl., 1551, f., Lugd. B., 1609, 4, cum notis Scaligeri, Argent., 1655, 4, quae recentior est, et Ism. Bollialdi notis aucta, Paris., ex recens. Mich. Fay, 1679, 4.

XXII *Caesar Germanicus*, Imperatorii sanguinis poeta, Augusti quippe nepos, eloquentia et omni doctrina politiori cultissimus heros, ac, uel propter animi dotes eximiaque uirtutes, meliori mortis genere dignissimus, Arati, poetae Graeci, Phaenomena, seu Apparitiones, carmine heroo, haud insecite, Latine reddidit, ipsique Augusto suo dedicauit. Alii quidem Domitiano, Imperatori, hoc poema tribuere malunt, rectius tamen, cum eruditissimo Barthio, Germanico relinquendum. Vid. Crinitus, d. I, III, 59, Gyraldus, d. I, p. 271, sq., Ruttergius, Var. Lect. II, 9, Vossius, de Scientiis Mathematicis, p. 169, Morhofius, d. I, p. 170, Borrichius, de P. L., p. 55, Cellarius Diss. p. 651, sqq., Boeclerus, d. I, p. 521, Fabricius, d. I, uol. I, p. 299, uol. II, p. 412, sqq., Funccius, d. I, p. 291, sqq.

Luculentissima editio est H. Grotii. Lugd. G., 1666, 4, in qua editione nihil admodum desideres, praeter Scholiastera antiquum, ex edit. Vil. Morelli Gallica, 1559, 4, repetendum.

XXIII *Gratius*, poeta eiusdem, quo uixit Ouidius, temporis, laudatus ab eodem, nemini tamen aliorum, quod constat, commemoratus, nihilo minus in pretio habendus, ob suauissimum doctissimumque, de Venatione, Epos, seu, Cynegeticon, quod in plerisque editionibus, cum Nemesiano et Calpurnio, eiusdem fere argumenti poetis, coniungi solet. Vid. Pope-Blount, d. I, p. 62, sq., Tob. Magirus, in Eponymol. crit., Scaliger, Poet. VI, Vossius, d. I, p. 32, Fabricius, d. I, uol. I, p. 283, sqq., uol. II, p. 388, sq., Funccius, d. I, p. 279, sqq., Ol. Borrichius, d. I, p. 54, Morhofius, d. I, p. 182.

Aetiquissima omnium, adeoque rarissima, est editio Manutiana, 1534, 8. Ex recentioribus optima est editio Casp. Barthii, Hanouiae, apud heredes VVechel, 1613, 8 mai. Georsim uix ullus horum poetarum, si bene memini, inuenietur. Gratii et Nemesiani nouissima est editio Thomae Ionsonii, Britannii, qui non uulgare fecit operae pretium in his duobus multo iucundissimis uatibus enucleandis. Londini Anglorum, 1699, 8. Nec praetereundi hic sunt Mauthaci Lagi Vindiciae,

edit. Barthianae, contra Ianum Vlietium, cuius editio haud in-  
elegans quidem est, notae tamen naeuus suis non carent, Lips.,  
1659, 4

SCHVRZEL. Gratius, patria Faliscus, idemque Cynegeticorum scriptor;  
quod opus omnia ad uenationem pertinentia continet, et multa ele-  
gantia contextum est. Carminis genus Epicum est, argumentum a Xe-  
nophonte in primis desumptum, quod grauiter Gratius climauit, Ci-  
tatur ab Ouidio et notam habet optimi acui.

Edd. Hanou., 1613, 8, opera C. Barthii, uiri nobilissimi, Lugd. B., 1745,  
12, opera Iani Vlietii, qui Barthium saepe castigat; quae editio optima  
est nitidissimaque. Barthium uindicauit quidam Lagus; sed uindictis  
his impar. De Gratio extat insigne elogium Scaligeri, patris, siquidem  
Gratium ab elegantia laudat. Multa in illo Gratio opere desiderantur,  
iniuria temporum amissa.

XXIV *Publius*, genre Syrus, scriptor Mimorum, seu, Sen-  
tentiarum, acutissimus utilissimusque, quarum a nostro fere mille  
hodieque supersunt relictæ, dignae profecto, quae ab sapientiae  
tironibus mente ac memoria, non solum sinu, circumferan-  
tur. Subiunguntur hae Gnomæ plerisque Catonis Disticho-  
rum editionibus, Mureti item Orationum et Epistolarum edi-  
tionibus, sigillatim edit. Thomasiae, Lipsiae plus semel recu-  
sae, in 8. Seorsum rarius occurrit mimographus, ut facile  
ex his editionibus optima, immo, forte unica, sit editio Eraismi  
Roterodami, Basil., ex offic. Frobeniana, 1502, 4. Ipse pro-  
fecto Scaliger, iunior, has aureas Publii sententias tantopere  
aestimauit, ut eas metaphrasi Graeca donare non sit dedignatus,  
quae translatio inter cetera eius poemata extat, et seorsum  
Marpurgi, 1701, 8, et Lugd. B., 1708, est recusa. P. quoque Syri  
Mimis in edd. quibusdam annexi reperiuntur. Mimi aliqui D.  
Laberii a) extant. Vid. Cunitus, d. l., ll., 24, Gyraldus, d. l., p. 430,  
Funcius, d. l., p. 284, 199., Boeclerus, d. l., p. 619, Fabricius, d. l.,  
uol. I, p. 286, sq., uol. II, p. 390, VValchius, in edit. Phaedri, p. 350, 199.

#### ADDITIONA

##### Ad §. XI

CELL. Cicero, Magister Lat. linguae, meretur, ut paulisper in eo consti-  
mus.

a) De Laberio uid. Fabricius, d. l., uol. I, p. 285, uol. II, p. 389, VVal-  
chius, d. l., p. 57, Funcius, d. l., p. 281, 199.

nus. Iuvenes quidem plerumque contemnunt Ciceronem, sed illi, se uescire, quid sit Latinitas, satis prudunt, quod etiam Quirilianus, Infit. Orat. X, 1, significat. Ille se profecisse ietat, cui Cicero ualde placebit. Scripta autem Ciceronis commode in quatuor partes, seu tomos, distingui possunt. In primo tomo ea continentur, quae de oratoria scripsit, qualia sunt, de Oratore LL. III, Orator ad Brutum, Brutus, de claris Oratoribus, Topica, de Inuentione, ad Herennium, de quibus tamen non certum, an Cicero sit autor. Secundus tomus continet Orationes, et, quia permutatae sunt, delectu quodam opus est. Ante omnia igitur breuiores praefertimus longioribus, aequales sunt illae quatuor Catilinariae nunquam satis laudandae, pro Archia, poeta, pro M. Marcello pro Milone, ad Quirites post reditum, in urbem, cetera. Proxime succedunt mediocres, quales sunt, Oratio, pro Lege Manilia, quae a Gellio aliisque ueteribus, de Laude Pompeii inscribitur, et quae sunt aliae. Inter longiores principem locum tenet secunda, pro Roscio Amerino, qua Cicero primum inclinat, et uiam ad gloriam sibi parauit, et erat tunc temporis xxviii annorum a). Deinde est quaedam, pro Milone, in qua tamen Cicero infelix fuit. Prae metu enim non poterat loqui, scriptam tamen deinde eam edidit. Porro sunt Philippicae, seu inuestiuae in Antonium, quae multam elegantiam habent, praesertim secunda est elegans, b) in qua omnia Antonii uitia, a pueritia ad senectutem usque, narrantur. Verrinae sunt nimis longae et dissentae, c) et sunt vii, quae de eodem argumento agunt. Tertius tomus de Epistolis agit, quae tamen in omnium fere manibus uersantur. Sunt autem eae, ad Familiares, seu diuersos, ad Atticum, ad Quintum, fratrem, et ad Brutum. At familiares illae, quae in scholis tractantur, sunt difficillimae, ut et ipsi Magistri eas saepius non intelligant. Ad eas enim intelligendas pertinet accurata notitia historiae illius temporis, praesertim belli civilis, notitia quoque antiquitatum requiritur. Sunt quidem commentarii, quales sunt Manuuii, sed eiusmodi non sunt, ut omnes locos elucident, et, quia maioris pretii sunt, in paucorum manibus uersantur. Immo, illae ad Atticum longe interdam difficiliores sunt, et a doctissimo uix possunt intelligi, certe, Lipsio iudice, difficultate omnibus Ciceronis libris praesant, quoniam stylo Laconico et conciso sunt conscriptae, et multa Graeca immixta habent. Ceterum ad politicam utiles sunt, quia nimirum in his totus reipubl. status depingitur. Succedent Epistolae ad Quintum, fratrem, quae, quia nimis longae sunt, legenti raedium parant. De

Episto-

- a) Hanc Georg. Trapezuntius, alique, omnium nobilissimam esse, iudicant.
- b) Ipius quoque Iuuenalis, poetae satyrici, iudicio, qui hanc diuinam appellat.
- c) Ad stylum tamen historicum, Ciceronis uerbis exprimendum, uel maxime idoneae, id quod exemplo suo iam olim demonstrauit P. Bembo, in Historia Veneta.

Epistolis ad Brutum adhuc, an suppositae sint, dubitatur inter eruditos. Quartus tomus continet philosophica, ut sunt Quaestiones Academicae, Tusculanae Quaestiones, de Finibus bonorum et malorum, de Officiis, de Fato, de Avicenna, de Senectute, reliqua. Et qui hos libros vult intelligere, perfecta et accurata veteris philosophiae notitia debet esse instructus. De totius operis editionibus aliquid adhuc addendum. Celebratissima est Godofredi, sed in editionibus Genevensibus istud notandum, quod ualde vitiosae sint, uenustior Genevensis est, quae habet minores notas, et distinctiones in margine. Gruterus etiam edidit et uol. f. Optima autem est, quae Gronouio, Prof. Lugd., editore, prodit. Conf. Diff. Acad. p. 701, 197.


AU § XV

SCHVYZEL. Vitruuius multa habet peculiaris, et aequalibus Augusti acui scriptoribus non usurpata. et maxime ad characterem philosophicum comparata. quae ad imitationem assumi non debent, etsi in argumento architecturae se, eius autoritate, facile inueniuntur. Vid. de Vitruuii uerborum significatione Bernaldinus Baldus, qui pleraque tamen non recte interpretatur. Edd. Vitruuius prodit Lugd. G., 1552, et 1586, 4, cum notis Wilhelmi Philandri Castilionei Venet., 1567, cum notis Dan. Barbari, uiri magni, et Vitruuii Vita, Elzeviriana edit. Amstel., 1649, f. cum notis uariorum et sum Lexico Vitruuiano, de quo uid. Adorbusius, Polybiff., III, II, S. 17.









WITTENBERG, Diss., 1735

(1,5)


ULB Halle


3

004 701 917



Sl





DE  
SCRIPTORIBVS LATINIS  
IISQVE ROMANIS

EX  
ORDINE SECVLORVM  
PRAESIDE

M. GODOFREDO VVAGENERO

ORD<sup>PHILOSOPH</sup> ADIVNCTOET SCHOLAE OPPID<sup>PRORECTORE</sup>

VTRIVSQVE ITEM COLLEGH SENIORE

PVBLICE EXPONET

IOSEPHVS AMADEVS SCHNABELIVS

AXIN<sup>SAXO</sup>

IN AVDITORIO MAIORI

III KAL<sup>TANVAR</sup> ANNI CID IO CC XXXV

---

DISPVATIO I

---

VITTEMBERGAE IN SAXONIBVS  
IN OFFICINA SCHLOMACHIANA

de  
33  
1735  
265

SH

